



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis**

Antehac Ex Probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniae Agrippinae, 1713**

Dubium IV. De Satisfactione.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42624**

interrogando ordine per præcepta decalogi & Ecclesiæ, conjiciendo, quæ ipse spectatâ ætate, statu, conditione, negotiis, occasionibus probabiliter fecisse potuerit, quod cum feceris, quantum locus & tempus ferent, pro pœnitentia injunge, ut proximâ occasione, quæ dabitur, confiteatur præmissis diligente examine circa vitam præteritam, & tum addat, si quæ plura occurrent antehac non rite confessa, nunc autem per actus fidei, spei & contritionis bene dispositam sic absolve.

§. 9. Ut ejusmodi pœnitentem, nec fatiges 1228. nimium, nec relinquant expositum plurimis posthac molestiis, debes accuratè scire, quænam peccata sint ejusdem, quænam diversæ speciei, ut nec nimium nec nimis parùm interroges. Numerum autem peccatorum internorum conjicies ex consuetudine uno die vel septimana iterandi, & diuturnitate temporis, quo hæsit in his vel illis peccatis. Et ut deprehendas numerum peccatorum externorum, primò propone magnum numerum; & si dicat, non toties, propone parvum; si dicat, sæpius, paulatim convenieris ad medium & verisimiliorem numerum. Videri possunt *Gob. t. 7. à nu. 259. & Sporer à n. 505.*

DUBIUM IV.

1229.

De Satisfactione.

ARTICULUS I.

Qua ejus necessitas & quantitas.

Resp. I. Satisfactio, seu pœnitentia à Confessario data, est necessaria necessitate, non Sacra-

» Sacramenti sed præcepti; ideoque à Confessa-  
 » rio regulariter imponenda est, ( secundum  
 » *Suar. & Regim. tom. 1. l. 7. nu. 12. sub. mortali. Card.*  
 » tamen *Lugo* concedit, ex parvitate materia  
 » posse venialiter peccari, ut *v. d. 25. num. 47. v. g.*  
 » si ob peccata venialia levis pœnitentia esset  
 » injungenda; ejus enim voluntariam omiffio-  
 » nem venialem tantum esse. Ita etiam *Dia. p. 6.*  
 » *t. 6. R. 44.* ) Et quidem proportionata, tum  
 » peccatis, tum facultati pœnitentis. Ratio prio-  
 » ris est, quia est pars Sacramenti, non essen-  
 » tialis, sed integralis tantum, habens effectum  
 » ex opere operato, & majorem vi Sacramenti,  
 » quam sine eo. Ratio posterioris, tum ex *Trid.*  
 » *sess. 14. c. 8.* tum quia Sacerdos tenetur cura-  
 » re integritatem Sacramenti, & tam vindica-  
 » re, quam mederi. *Bon. t. 1. d. 5. q. 5. §. 3. p. 2. Un-*  
 » *de resolves.*

» I. Excusatur aliquando Confessarius, si le-  
 » vissimam ( vel etiam nullam ) pœnitentiam  
 » injungat, v. g. I. Si pœnitentem vehementissi-  
 » me contritum, aut aliter satisfecisse advertat,  
 » *Caj. Nav. Suar. Reg. Bon. d. 5. q. 5. §. 3. p. 2. n. 1. & 2.*  
 » *Escob. c. 6. n. 41.* Cum verò id rarò vel nunquam  
 » constare satis possit, tutius est aliquam sem-  
 » per injungere; ut rectè monet *Lug. num. 48.*  
 » 2. Si pœnitens sit mentis impos, aut aliter im-  
 » potens, aut morti proximus, aut valde debilis:  
 » cui tamen prudenter injungi levem saltem  
 » pœnitentiam, v. g. percussione pecto-  
 » ris, invocationem nominis JESU ( saltem  
 » corde ) aliosve pios motus, vel ut per hære-  
 » des sacrificia, eleëmofynas, & similia opera  
 » pia curet, monet *Lay. & Bon. l. c. & Nav. qui*  
 » addit, posse injungi, ut patienter ferat infirmi-  
 » tatem,

tatem, quod tamen *Bon.* non probat, cum fieri possit, ut id valde angat infirmum, timentem se non ritè satisfacere. 2. Quando scrupulosus sæpius intra eandem horam redit cum novis culpis, quia supponitur satis imposita in præcedentibus, *Tamb. l. 4. c. 1. ex Pagund.*

II. Etsi Confessarius peccet ex communi, si pro magnis peccatis valde parvam pœnitentiam imponat, excusari tamen eum posse, purat *Dia. p. 3. t. 4. res. 92.* si addat illud: *quid boni feceris, &c.* Verùm hæc regula universaliter admitti non potest, ut bene notat *Lug. n. 57. Kon. Tann. Palaus tr. 23. p. 21. §. 3. n. 13.* &c. (contra quos *Diana* pro se citat. *Bauni & Leand. p. 6. t. 7. R. 5. & p. 9. t. 9. R. 54.*) & ab aliis non immeritò rejicitur, eò quòd verba, utpote merè deprecatoria, non habeant vim elevandi omnia opera bona ad efficaciam sacramentalium, *Aversa q. 13. s. 7.*

III. Minor justo licitè datur ex causa, qualis v. g. est, 1. magna contritio. 2. Fragilitas animi vel corporis, ob quam tmetur majorem non implerurus. 3. Tempus Jubilæi vel Indulgentiæ plenariæ, *Suar. Henriq. Lay.*

IV. Non potest injungi. 1. Ingressus Religionis, ut docet *Sa V. Satisfactio*: quia id nimis durum videtur. 2. Pœnitentia publica, si sit periculum revelandæ confessionis: aliàs interdum pro publico peccato potest & expedit.

V. Etsi possit, & aliquando ob fragilitatem pœnitentis etiam expediat, injungi opus aliàs debitum seu præceptum, v. g. Missæ auditio nem die festo, &c. ut docet *Suar. Vasq. Laym. l. 2. c. 6. cap. 15. & alii.* Unde si scrupulosus sæpius

redeat

»redeat ad Confessarium, intra breve tempus  
 »semper nova confitendo, non semper necesse  
 »est imponere pœnitentiam novam, cum opus  
 »antè debitum pœnitentiam injungi, *Bon. Henriq. Lug.*  
 »*Dian. p. 6. t. 7. R. 6. contra Suar. Reg. & Bauny.* Si  
 »tamen Confessarius non exprimat, censetur  
 »imperasse opus liberum, ut docent iidem, &  
 »*Dia. p. 3. tr. 4. R. 84. v. Kon. d. 10. dub. 8. & Dia. part.*  
 »*4. tr. 4. R. 241.*

» VI. Et si etiam possit injungi opus internum,  
 »uti contra *Merat.* & alios docet *Kon. Hurt.* &  
 »*Dia. R. 241.* communiter tamen debet esse ex-  
 »ternum, & afflictivum, v. g. oratio, jejunium,  
 »eleëmofyna; Nam avaris eleëmofyna, luxu-  
 »riosis afflictio corporis convenit. Utrum verò  
 »licite imponantur preces recitandæ pro de-  
 »functis, dubitari potest, *Vega tom. 2. c. 64. & Jo.*  
 »*Sancius d. 16. n. 1.* negant. Affirmant probabi-  
 »lius *Turrivan. de pœn. d. 37. dub. 4. Lug. d. 25. n. 62.*  
 »*v. Dian. p. 3. tr. 4. R. 54.*

» VII. Potest etiam aliquando injungi cessa-  
 »tio ab aliquo bono opere, v. g. nimia corporis  
 »afflictione, vel abstinence aliqua vice à Com-  
 »munionem, ad promovendum majus bonum  
 »pœnitentis, si prudens Confessarius ad eum  
 »finem expedire judicet, *Salas, Lug. Diana & c.*  
 »cum *Aversa q. 13. f. 3.* contra *Joannem Sancium.*

» VIII. Et si possit immediatè post absolutio-  
 »nem adhuc injungi, debet tamen fieri ante, ut  
 »servetur ordo judicii, vid. *Dian. R. 136. & p. 5. t. 13.*  
 »*R. 36.* ubi ex *Cap. Finali, & Ochag.* docet et si  
 »consuetudo habeat, ut ita fiat, illam tamen  
 »non induxisse obligationem.

» Resp. II. Pœnitens communiter tenetur sub  
 »gravi obligatione pœnitentiam, si rationabilis  
 fit

fit, acceptare & implere, ut habet communis  
 contra *Cajet. Silv. Navar.*. Quorum sententia  
 ad hoc saltem serviet, ut neminem non abso-  
 lutum dimittas, si vel levissimam subire velit,  
 ut notat *Sotus & Regin. l. 7. cap. 2. vid. Dian. p.*  
*3. t. 4. R. 51. & p. 2. t. 15. R. 52.*

Dixi. I. *communiter*: quia probabile est, quod  
 docet *Laym. c. 15. Suar. & Dian. p. 3. t. 4. R.*  
*136. contra Kon. Henr. & alios*, pœnitentiam  
 sub veniali tantum obligare sequentibus casi-  
 bus: I. Si imposita sit pro solis venialibus. Ita  
 citati contra *Henr. & Fag.* II. Si pro mortalibus  
 aliis confessis. III. Omissionem partis non  
 gravis, in confessione mortalium, vel etiam  
 omissionem totius, si levis sit, v.g. unum Mi-  
 serere, *Kon. Regin. Fag. cum Dian. R. 102. & p.*  
*6. t. 8. R. 45.* IV. Si Confessarius noluit obli-  
 gare sub mortali; quia cum possit imponere  
 pœnitentiam liberè, & sine omni obligatio-  
 ne, ut probat *Suar. hinc d. 38. f. 7 Henr. Fil. Fa-*  
*gund. Tan. Kon. de sacram. d. 10. dub. 8. n. 65.*  
 contra *Turr. & Vasq.* potest etiam sub levi tan-  
 tum imponere. v. *Dia. p. 3. t. 4. R. 241. & p. 4. t.*  
*4. R. 82.* V. Eum, qui lucratur indulgentiam  
 plenariam, liberari ab onere pœnitentiæ (ni-  
 si sit medicinalis) docet *Dia. p. 5. t. 12. R. 3. &*  
*p. 9. t. 6. R. 36. ex Tan. Gran. Lug. & c. contra*  
*Val. March. & Avers.*

Dixi II. *Si rationabilis sit*: quia si iusto sit gra-  
 vior, ac difficilior, nec Confessarius eam mo-  
 derari velit, non peccabit graviter pœnitens,  
 si sine absolutione discedens, alterius Sacer-  
 dotis iudicio peccata submittat, ut docet *Suar.*  
*Kon. Lay.* Imò ad eam non obligatur, si o-  
 mnino injustam esse constet, aut si pœnitens  
 eam

eam

»eam non possit implere, vel illius sit oblitus.  
 »Nec tunc ad aliud quidquam tenetur, etsi ex-  
 »pediat, ut *is*, qui sive culpabiliter, sive sine cul-  
 »pa oblitus est, in sequenti confessione similem  
 »sibi injungi perat. Ita *Kon. Lay. Dia. p. 4. t. 4. R.*  
 »241. contra *Rubar. & Sylv.* qui putant talem  
 »confessionem esse repetendam: quod præter  
 »citatos negat etiam *Lug. n. 87. ex Vasq.* docens  
 »talem satisfacere, si confiteatur illud pecca-  
 »tum oblivionis culpabilis. Unde resolves,  
 » I. Is qui pœnitentiam implet in statu pecca-  
 »ti mortalis, probabiliter quidē satisfacit præ-  
 »cepto, cum impleat ejus substantiam, peccat  
 »tamen, sed venialiter, ut docet *Suar. Laym.*  
 »*Dian. l. c.* quia Sacramenti partem suscipit in-  
 »dignè; & obicem ponit effectui, scilicet remis-  
 »sioni pœnæ, (quem tamen, obice remoto, re-  
 »cuperari, docet *Nav. Tol. Caj. Dia. p. 3. t. 4. R. 85.*  
 »*Fag. Suar. &c.*) unde quamprimum est im-  
 »plenda, potestque graviter etiam peccari ni-  
 »miùm differendo; quod ex variis circum-  
 »stantiis judicandum. v. *Dia. p. 2. t. 15. R. 53. p. 6.*  
 »t. 13. R. 38. Non esse autem grave seu mortale,  
 »si non differat ultra octiduum, docet *Hurt.*  
 »apud *Dian.* Imò posse differri per annum,  
 »(hoc est, quamdiu non tenetur ad novum Sa-  
 »cramentum Pœnitentiæ) vult ipse *Dia. p. 9. t.*  
 »7. R. 57. ex *Amico, Leand. &c.* nisi tamen pœ-  
 »nitens dubitet, an postea possit implere: eo  
 »enim casu teneri quamprimum commodè  
 »potest. Similiter non esse mortale, si obligatus  
 »jejunare feriâ 6. differat in diem sequentem:  
 »vel obligatus communicare singulis mensi-  
 »bus, differat ad 6. vel 8. dies, affirmat *Dian. l. c.*  
 »ex *Palao*, præsertim ex causa aliqua, tamen si  
 »levi. II.

II. Pœnitentiam ( etiam medicinalem ) im-  
positam sub conditione hac, *si iterum labatur*,  
nec teneri acceptare, nec implere, eò quòd  
Confessarius nec Judex sit, nec Medicus pecca-  
torum committendorum, docet *Dian. p. 6. t. 7.*  
*R. 49. ex Palao, Trull. &c.* Sed contrarium pro-  
babiliùs cum *Suar.* tenet *Aversa q. 13. f. 4.* quia  
non imponit eam pro peccatis committen-  
dis, sed commissis, sub conditione reinci-  
dentiae.

III. Qui non implevit intra tempus præ-  
scriptum, non ideo deobligatur.

IV. Potest satisfacere per alium, cui Con-  
fessor id concedit; vel qui per se non potest,  
ut docet *Reg. Fill. Fag. Dian. p. 4. t. 4. Res. 141.*  
Hic tamen non tenetur, nisi Confessor id vo-  
luerit: An verò satisfaciens pro alio, simul pro  
se possit, alii ajunt, alii probabiliùs negant, ut  
habet *Sa.*

V. Non necessariò impletur ante Commu-  
nionem.

*Queres.* Quis pœnitentiam possit commu-  
tare, & quomodo?

*Resp. I.* Ex justa causa quivis Sacerdos id  
potest, si de novo ei confiteatur, ut habet  
communis sententia contra *Sotum & Vasq.* sal-  
tem si peccata non sint reservata; imò etiam  
probabiliter, etiamsi talia fuerint, ut habet  
*Fernand.*

*Resp. II.* Sine nova Sacramenti administra-  
tione, potest id solus Sacerdos, qui injunxit,  
si adhuc recordetur statum pœnitentis, & hic  
ad eum recurrat tempore tam brevi, ut mora-  
liter idem judicium censerì possit, v. g. intra  
hebdomadam, *Hen. & alii 4.* imò etsi post lon-



»gius intervallum. *Lug. Aversa & Dia. p. 6. t. 6. R.*  
 »46. & p. 9. t. 6. R. 57. contra *Palaum &c.* Ratio,  
 »quia iudex incognitâ causâ non potest ferre  
 »sententiam. Ita *Syl. Suar. Kon. Lay. Fill. Reg. Fag.*  
 »&c. *Lug.* contra *Nav. Henr. Tol. Sa, Rodri. Be-*  
 »*jam, Valer. Dian. p. 3. t. 4. Ref. 53. & p. 2. t. 1. misc.*  
 »R. 53. qui dicunt, etiam alium posse, non repe-  
 »titis peccatis. Quæ sententia, etsi non ex ratio-  
 »ne, ex principio tamen extrinsecò videtur esse  
 »in praxi probabilis, (*Diana enim loc. cit. pro*  
 »*ea adduxit 14. Auctores, dicitque esse usum,*  
 »*sive praxin Confessariorum*) & Confessariis  
 »posse servire, quando pœnitens difficulter ad-  
 »duci potest ad repetenda peccata, vel tempus  
 »id non fert; præsertim si ex confessione (nam  
 »in ea & non extra, debet fieri) aliorum pecca-  
 »torum, & ex præsentî statu pœnitentis, ipsi-  
 »usque testimonio, habeant aliquam confusam  
 »notitiam peccatorum præteritæ confessionis.  
 »Ita *Fag. p. 2. lib. 9. c. 4. n. 22. Lug. d. 25. à n. 107.*  
 »*Resp. III.* Ipse pœnitens non potest com-  
 »mutare pœnitentiam, etiam in evidenter me-  
 »liorem, ut docent *Sanch. 4. mor. Kon. d. 10. d. 12.*  
 »n. 13. *Regin.* & alii: etsi contrarium probabile  
 »dicat *Dia. p. 3. t. 4. Ref. 53. & p. 5. tr. 14. R. 73. ex*  
 »*Portell. & Villalob.* Sed hoc *Turr.* temerarium:  
 »communi Theologorum & fidelium sensui  
 »repugnare dicit *Lugo n. 95.*

## A D D E N D A.

1230. **Q**uest. 170. *An satisfactio sacramentalis vel*  
*probata vitæ emendatio sit præmittenda ab-*  
*solutioni. R. S. I. Satisfactionem sacramentalem*  
*esse præmittendam absolutioni docuit Petrus*  
*De*

De *Osma*, cujus propositionem hanc, non peractâ  
 pœnitentiâ confitentes absolvi non debere, damna-  
 vit an. 1479. *Sixtus IV.* Bullâ, *Liceat ea.* 17. tom.  
 1. Bullarii. Opinionem illam postea renovârunt  
*Anton. De Dominis* De Rep. c. 7. à n. 29. *Arnaldus*  
*De freq. comm.* p. 2. à c. 7. usque ad 19. *Gabrielis*  
*in Speciminibus* p. 2. §. 35. *Huyghens* in  
*thesibus* 29. Nov. 1685. *Opstraet* De convers.  
 peccat. q. 2. c. 2. & c. 3. §. 1. & q. 3. c. 4. §. 2. aliique  
 Rigoristæ apud *Hilarium à S. Sepulchro* ad pro-  
 positiones ab *Alex. VIII.* damnatas, qui dixe-  
 runt praxin illam non absolvendi nisi peractâ  
 prius pœnitentiâ viguisse in Ecclesia per 12.  
 prima sæcula, ideoque nunc esse reducendâ. *Jo-*  
*annes Episcopus Castoriensis* in Amore pœnitente  
 pag. 196, dixit morem absolvendi ante per-  
 actam satisfactionem cœpisse invalescere post  
 tempora *S. Bernardi.* Sed contra est, nam praxin  
 mox absolvendi fuisse in 12. primis sæculis  
 ostendunt *Morinus* De administr. pœn. l. 9. c.  
 14. n. 8. *Alex. à S. Teresia* in tempest. noviss. art.  
 15. & 16. *Nicolaus Du Bois* in Apologia contra  
 Synodum racematoriam, probans per Canones  
 à 2. sæculo usque ad 12., quòd facientibus et-  
 iam publicam pœnitentiam data fuerit Eucha-  
 ristia, etiam per decursum pœnitentiæ necdum  
 expletæ, ergo jam antè erant absoluti: absolu-  
 tio autem, quæ dabatur in fine post expletam  
 pœnitentiam, non erat sacramentalis, sed pro-  
 foro externo reconciliativa cum communita-  
 te, & attestativa pœnitentiæ fideliter expletæ:  
 Atque etiam ideo liber *Episcopi Castoriensis* Ro-  
 mæ suspensus est 20. Junii 1690., donec corri-  
 gatur. Et quòd praxis, quæ nunc est, absolven-  
 di antè peractam pœnitentiam, non sit contra

præceptum Christi, neque contra naturam rei, sed absolutè retinenda sit, cõstat inde, quia *Alex. VIII.* die 7. Dec. 1690. damnavit sequentes propositiones: 16. *Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni induxit, non politia aut institutio Ecclesie, sed ipsa Christi lex & præscriptio, naturâ rei idipsum quodammodo dictante.* 17. *Per illam praxin mox absolvendi ordo pœnitentiæ est inversus.* 18. *Consuetudo moderna quoad administrationem Sacramenti Pœnitentiæ, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet auctoritas & multo temporis diurnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu sed abusu.* 22. *Sacrilegi sunt iudicandi, qui jus ad Communionem percipiendam prætendunt, antequam condignam de delictis suis pœnitentiam egerint.* Constant hæc omnia etiam ex *Canonicis Romanis, De Pœn. Sacram. c. 12. n. 1. Antiquissima Ecclesie usu receptum est, ut cum pœnitentes à peccatis solvuntur, pœna aliqua eis irrogatur, cujus pœna solutio satisfactio vocari consuevit.* Nec desunt rationes, nam imprimis ita semper præmittendo satisfactionem, pœnitens sæpe exponetur periculo æternæ damnationis, si nempe non habens perfectam contritionem sine absolutione moriatur. Deinde pœnitentia, quæ impletur ante absolutionem, fortè non est ex opere operato remissiva pœnarum, uti dicitur n. 1236., aut quamvis sit accedente absolutione, tamen ex opere operantis, qui sæpe remanet in statu peccati habitualis, nihil de condigno meretur, ergo nocetur pœnitenti.

1231. §. 2. Ex dictis sequitur non prærequiri probationem vitæ emendatæ, quidquid putaverint similes Rigoristæ dicentes per emendationem explorandum esse, an pœnitens habuerit verum

rum dolorem nec ne, dicunt enim probationem veri doloris esse exhibitionem boni operis, secundum illud Christi: *Ex fructibus eorum cognoscetis eos*, Matth. 7. v. 20. *Sed contra est*, quod aliunde satis colligi possit, an adsit verus dolor nec ne. Deinde universalis praxis Ecclesiæ est contraria, ergo planè imprudenter hoc requireretur. Denique hoc ipsum est specialiter contra finem Sacramenti, cujus gratia per absolutionem causata debet juvare ad emendationem vitæ, ergo malè prærequireretur emendatio ante absolutionem. His omnibus non obstantibus dicam postea à nu. 1764. absolutionem aliquando differri posse & debere.

Q. 171. *Quid præterea sit notandum circa satisfactionem sive pœnitentiam, quæ in Confessione injungitur.* R. seqq. §. I. Est conforme institutioni Christi, ut satisfactiones à Confessariis imponantur pœnitentibus, nam *Trid. sess. 14. can. 14.* De pœn. ait: *Si quis dixerit satisfactiones, quibus pœnitentes per JESUM Christum peccata redimunt, non esse cultus Dei sed traditiones hominum, doctrinam de gratia & verum Dei cultum, atque ipsum beneficium mortis Christi obscurantes, anathema sit.* *Can. 15.* *Si quis dixerit claves Ecclesiæ esse datas tantum ad solvendum, non etiam ad ligandum, & propterea Sacerdotes, dum imponunt pœnitentias confitentibus, agere contra finem clavium & contra institutionem Christi, & fictionem esse, quod virtute clavium sublatâ pœnâ aternâ, pœna temporalis pleraque exsolvenda remaneat, anathema sit.* Ratio autem est, quia satisfactio est pars Sacramenti Pœnitentiæ, ergo est ex institutione Christi, cum enim omnia Sacramenta sint instituta à

1232

Christo, nihil potest esse pars Sacramenti, nisi propter institutionem Christi.

1233. §. 2. Satisfactiones sacramentales aliæ sunt *vindicativæ*, quæ imponuntur ad tollendas pœnas temporales adhuc debitas peccatis: aliæ *medicinales*, per quas præservamur à relapsu: & de his dicit *Trid.* supra c. 8. *A peccato revocant & quasi fræno quodam coërcent, cautioresque & vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt: medentur quoque peccatorum reliquiis, & vitiosos habitus male vivendo comparatos contrariis virtutum actionibus tollunt.* Iterum aliæ sunt *publicæ*, aliæ *privatæ*: Et *publicæ*, aliæ sunt *solennes*, aliæ *non solennes*, de quibus videri potest *Bellarmin.* l. I. c. 21. & 22.

1234. §. 3. Probabilius videtur, quòd satisfactio pœnitentis non causet gratiam habitualem ex opere operato, *Vasq. Præp. Con. Raynaud. Lugo d. 25. s. 1. Aversa q. 14. s. 3. Arr. d. 47. s. 1. Dicast. d. 14. n. 156. Gorm. p. 2. n. 315. contra Caj. Sot. Suar. Turr. De la Crux apud Dianam p. 3. t. 4. R. 70. & alios.* Ratio est, quia non debet virtus attribui Sacramento aut parti Sacramenti, nisi fundamentum habeamus ex Conciliis aut Patribus, hi autem, quando agunt de satisfactione, ei tantùm attribuunt virtutem remittendi pœnas temporales, quod fieri potest sine infusione gratiæ, uti patet in Indulgentiis & Sacrificio Missæ defunctis applicato, ergo.

1235. §. 4. Ob eandem rationem probabilius videtur contra eosdem AA. & contra *Con. & Aversa.*, quòd satisfactio pœnitentis etiam non causet gratias actuales ex opere operato, sive, non conferat jus ad specialia auxilia pro emendandis peccatis, quamvis enim *Trid.* supra c. 8. dicat revocare à peccato & cautioem reddere,  
hoc

hoc tamen facit ex se, & quantum opus operantis valet ad coercendum hominem & ad impetranda à Deo auxilia. Ratio autem est, quia jus ad specialia auxilia ratione Sacramentorum fundatur in gratia habituali sacramentali, quæ postea exigit ista specialia auxilia, ergo cum satisfactio non causet ex opere operato gratiam habitualem, etiam non confert ex opere operato jus ad specialia ejusmodi auxilia.

*Obji. 1.* Si confitear peccatum mortale & veniale, dolor de veniali, licet sit pars integralis tantum, causat gratiam, ergo etiam satisfactio, scimus enim Sacramentum Pœnitentiæ esse à Christo elevatum ad causandam gratiam, & pariter scimus satisfactionem esse æquè partem integram Sacramenti, ac dolorem de veniali, ergo. R. Concilia & PP. dicunt gratiam causari per confessionem & dolorem, quæ vel sunt vel ponuntur cū partibus essentialibus causantibus gratiam; è contrà per satisfactionem, quæ diu post partes essentielles Sacramenti gratiam causantes poni potest, tantum dicunt causari remissionem pœnæ, ergo non est paritas.

*Obji. 2.* Absolvens sæpè addit hæc verba: *Quidquid boni feceris & mali sustinueris, sit tibi in augmentum gratiæ &c.* ergo absolutio elevat satisfactionem ad augendam gratiam. R. n. consequ., nam Sacerdos etiam orat, ut per merita B. Virginis & omnium SS., item per quæcumque opera pœnitentis augeatur illi gratia, neque tamen illa omnia sunt satisfactio sacramentalis, multò minùs elevantur ad causandam ex opere operato gratiam. Quoad illa tamen verba vide dicenda n. 1250.

§. 5. Satisfactio sacramentalis, si persolvatur. 1236.

tur post absolutionem, quæ ipsam adhuc afficiat, causa remissionem pœnæ temporalis ex opere operato, *Suar. Vasq. Lugo d. 25. n. 16. Dicast. d. 14. n. 151. & communiter omnes, te. ste Arr. d. 47. n. 9. Probatur ex Trid. supra c. 8. & Can. 15. nam dicit esse ex institutione Christi, ut pœna condonetur, nempe temporalis, quia docet c. 8. & definit Can. 12. non semper totam remitti cum culpa & cum pœna æterna, ergo. Dixi, si persolvatur post absolutionem, nam licet possit saltem quoad partem persolvi ante absolutionem, tamen nihil ad Sacramentum pertinens causat gratiam ex opere operato, antequam compleatur Sacramentum & ponatur forma, in qua secundum *Trid. c. 3.* est præcipua vis & efficacia hujus Sacramenti, ergo si ita anticipetur, ut super eam cadere non possit, forma nihil efficiet ex opere operato, *Suar. Lugo n. 28. Arr. n. 20. Aversa q. 14. s. 4. §. Quarto. Amic. d. 16. n. 87. Dicast. nu. 165. Sporer n. 576. Confirmatur, nam non remittit pœnam, nisi supponendo culpam ex vi hujus absolutionis remissam, cum subordinetur absolutioni ad remittendas reliquias pœnarum peccatis debitarum, sed tum culpa non supponitur remissa ex vi hujus absolutionis, ergo. Dixi 2. si ita anticipetur &c. nam docent *Præpos. De satisf. q. 12. n. 93. Merat. d. 41. s. 2. & insinuat Lugo d. 25. n. 28. satisfactionem, quæ præcedit, operari remissionem pœnæ accedente absolutione, quod verum est, si illam adhuc moraliter præsentem censeatur afficere absolutio.***

1237 §. 6. Incertum manet, quantum de pœna peccatis confessis debita remittat satisfactio; nam si imponatur minor, quàm re ipsa respondeat

deat pœnæ à Deo commensuratæ, certum est tantum aliquid illius remittere. Et licet Confessarius iudicet pœnitentiam impositam esse æqualem, si talis non sit, non ideo, si hanc pœnitentiam expleat, remittetur tota pœna, quia opinio Confessarii non præjudicat juri Dei, nec facit partem Sacramenti esse magis operativam, quàm in se sit secundum institutionem Christi, uti pluribus probant *Lugo* à n. 19. *Dicast.* à n. 175. *Gorm.* à n. 318. Aliud est in Indulgentiis, quia Papa aliunde ex thesauro Ecclesiæ supplet. Est tamen probabile cum *Lugo* num. 26., quod melior dispositio pœnitentis, etiam tum, quando pœnitentiam implet, plus etiam conferat ad remissionem pœnæ. Cur autem vi Baptismi remittatur omnis pœna & non vi Sacramenti Pœnitentiæ, rationem dat *S. Th.* in supplem. q. 18. a. 2. tum quia *non debet alicui imputari ad pœnam, nisi quod ipsemet fecit*, homo autem non fecit ipsemet originale peccatum, sed tantum personale: tum etiam, quia homo fit per gratiam baptismalem novus homo.... *sed in pœnitentia homo non mutatur in aliam vitam, quia non est regeneratio, sed sanatio quædam.... Attamen de illa pœna, quæ in Purgatorio debetur, aliquid remittitur, ut minus in Purgatorio puniatur absolutus ante satisfactionem decedens, quàm si ante absolutionem decederet.*

§ 7. Probabilius videtur Confessarium peccare, si nullam injungat pœnitentiam, etiamsi pœnitens velit lucrari Jubilæum seu Indulgentias, aut videatur valde contritus, nam adhuc integrandum est Sacramentum saltem per parvam pœnitentiam, aut per ipsasmet preces pro lucrandis Indulgentiis recitandas, maximè cum



valdè incertum sit, an quis Indulgentias plenè lucretur, & an contritio illa deleat omnem pœnam. Quòd si supponamus obtineri Indulgentias, aut per hanc contritionem deleri pœnas, posset pœnitentia vindicativa minor imponi, uti dicitur n. 1258. Quæ omnia confirmabuntur ex dicendis n. 1273. Si tamen pœnitens paulò post esset subiturus martyrium, putat *Dicast.* n. 16. posse non injungi pœnitentiam, sed si commodè peragi possit, dicendum est injungendam esse, saltem ut integretur Sacramentum: & si homini illi nulla pœna super fuerit solvenda, satisfactio ejus vel manebit in thesauro Ecclesiæ, vel poterit servire alteri, secundùm dicenda n. 1330.

1239. §. 8. Si pœnitens statim post absolutionem addat novum peccatum, cujus nova detur absolutio, si hoc peccatum statim pœnitentis non notabiliter immutet, dicunt aliqui cum *Amic.* num. 114. non esse opus imponi novam pœnitentiam, quia licèt peccatum illud fuisset primò additum, potuisset eadem esse pœnitentia: sed dicendum est, cum sit novum judicium, esse saltem aliquid leve addendum, vel eandem pœnitentiam, quæ antè data erat, nunc esse injungendam pro utraque confessione

1240. §. 9. Pro pœnitentia injungi quidem potest, secundùm *J. Sanch.* d. 13. & *Aversam* q. 13. l. 3., si id censeatur utile futurum, ut pœnitens eadem peccata eidem Confessario iterum confiteatur, non obstantibus illis, quæ dixi nu. 589., attamen cavendum, si Confessio per hoc redderetur odiosa: nec absolutè expedit fieri, si sint peccata carnalia, ut in specie infima ea confiteatur sæpiùs, bene tamen in genere aut in specie sub-

balterna, v. g. accusando se de turpibus tactibus vel pollutionibus antehac commissis. Putat *Sanch.* injungi non posse, ut statim iterum confiteatur, si in tale peccatum fuerit relapsus, quia si non relabatur, nunquam integraret Sacramentum, sed melius contradicunt alii cum *Aversa l. 4.*, quia per hoc simul injungitur specialis cautela & conatus non relabendi, ergo licet non relabatur, per hanc ipsam specialem cautelam & conatum integrat Sacramentum: aut saltem potest illi simul imponi aliquid leve, quod jam impleat.

§. 10. Præter citatos à *Busenb.*, rectè dicunt 1241  
*Sar. Lug. Lohn. Dicast. d. 14. nu. 85.* & alii posse pro pœnitentia imponi opus merè internum, v. g. meditationem de morte. *Nec obstat*, quòd Ecclesia non videatur posse præcipere actus merè internos, *nam* hoc posse Ecclesiam, ostendit *l. 1. à n. 648.* Et dato, quòd de se non posset Ecclesia, Confessarius id præcipit nomine Christi instituentis hoc Sacramentum cum potestate ligandi non restricta ad actus tantùm externos satisfactionis.

§. 11. Præter citatos à *Busenb.*, etiam rectè 1242  
dicunt *Aversa l. 4. Amic. n. 62. Bosco d. 7. f. 12. à n. 110. Dicast. n. 94. Rayn. in Heter. tom. 15. p. 2. l. 3. p. 2. n. 31.* posse injungi orationes pro Defunctis, quia sic imperatur actus charitatis, & omnis oratio etiam est actio bona de se molestata: atque ideo etiam *Catech. Rom. De pœn. c. 13.* monet injungendas orationes, *præsertim pro iis, qui ex hac vita in Domino excesserunt*, est enim, inquit *Lugo d. 25. n. 61.* eleëmofyna acceptissima, & illi rursus pro pœnitente orabunt.

§. 12. Opus perpetuum non debet pro pœ- 1243  
nitente-

nitentia imponi, unde si Confessarius tibi imponat, ut quotidie totâ vitâ ores *Pater & Ave*, *Castrop.* t. 23. p. 21. §. 4. n. 3. & §. 5. n. 16. *Burgh.* cent. 2. cal. 77. *Steph.* t. 5. d. 5. n. 175. dicunt te non teneri acceptare vel acceptatam exequi, quia immoderatè durat. Aliud est, si præter opus aliquod, quod jam fieret, imponeretur aliud obligatorium, sine majore tamen obligatione: & sic legimus, quòd *S. Bernardus* videns magnam contritionem *Arnulphi* cujusdam, ei injunxerit, ut oraret ter *Pater & Ave*, ac in religioso statu usque ad finem permaneret, ut refert *Dionysius Werlensis Capucinus*, in *Pseudo-pœnitente* c. 2. a. 2 §. 5. *Reg.* 11., ille enim jam antecedenter tenebatur ad statum illum. Posse autem opus aliunde præceptum esse saltem partem pœnitentiæ, rectè docent *Suar. Vasq. Dian. Lug. Dicast.* & alii multi cum *Escob.* probl. 32. contra *Maj. Palud.* & alios, sic enim imponitur secunda obligatio, ideoque duplicem specie malitiam contrahit pœnitens, si omittat, ut dictum est l. 5. n. 135.

1244 §. 13. Si Sacramentum Pœnitentiæ fuerit validum & informe ( quale posse esse dixi à n. 672. ) & satisfactio persolvatur in mortali, antequam Sacramentum reviviscat, tum quidem non habet suum effectum, quia pœna non remittitur, nisi prius remissa sit culpa, postea tamen reviviscente Sacramento etiam reviviscet satisfactio in ordine ad delendam pœnam ex opere operato, ut cum communi *Diana* p. 3. t. 4. R. 85. *Arr.* d. 15. n. 20. *Aversa* q. 14. l. 8. & sequitur ex dictis l. 6. p. 1. à n. 197.

1245 §. 14 Si Sacramentum Pœnitentiæ fuerit formatum & causaverit gratiam, satisfactio autem

autem persolvatur post relapsum in mortale,  
*Mag. sentent. S. Th. Adr. Led. Valent. Hurt. Turr.*  
*Præpos. Ochag. & alii cum Dicast. d. 14. n. 170.*  
 dicunt nunquam prodesse. E contra *Caj. Vist.*  
*Vivald. Suar. Henriq. Con. Arr. Lug. Fagund.*  
*Laym. Diana & alii* dicunt semper prodesse: sed  
 quamvis prima sententia videatur esse proba-  
 bilior, tamen potest sic distingui, nam nun-  
 quam habet effectum ex opere operantis, quia  
 prout ab homine ponitur, deberet sumere va-  
 lorem ex dignitate personæ operantis, quæ  
 dignitas hic non est, cum operans sit in morta-  
 li, ergo talis satisfactio, prout est actio operan-  
 tis, est opus planè mortuum: & hoc fortè vult  
 prima sententia. E contra prout est actio sacra-  
 mentalis ex institutione & quasi nomine Chri-  
 sti posita, probabiliter dicit secunda sententia  
 habere effectum ex opere operato, vel tum,  
 quando ponitur etiam in peccato mortali, eò  
 quòd Deus non respiciat actionem, prout est  
 hominis sed prout est moraliter Christi, uti te-  
 nent plerique cum *Bosco* l. 13. à n. 46., ad eum  
 modum, quo Missa ab impio Sacerdote lecta  
 valet ad effectus suos ex opere operato; vel sal-  
 tem postea, quando removeretur obex, quod erat  
 mortale, uti cum aliis putant *Aversa & Viva*  
 ad prop. 18. *Alex. VIII. n. 14.*

§. 15. Eum nequidem venialiter peccare, 1246,  
 qui persolvit pœnitentiam in mortali, docent  
*Sot. Tann. Lugo d. 25. n. 32. Arr. d. 47. n. 23.*  
*Dicast. d. 14. n. 160. & alii contra Suar. Castrop.*  
*Laym. Busenb. Sporer n. 541. Viva n. 13. & alios:*  
 Rationem dant, tum quia Confessarii ipsi sæpe  
 imponunt pœnitentiam explendam, ante-  
 quam absolvant à mortalibus, tum etiam quia  
 nulli

nulli pœnitentes faciunt sibi scrupulum, licet perfolvant post relapsum, creduntque melius esse, quàm diutiùs differre, ergo ex sensu communi non est peccatum. *Nec obstat*, quòd satisfactio sit pars Sacramenti, ideoque videatur irreverentia, si in statu peccati mortalis ponatur, nam etiam dolor & confessio sunt partes Sacramenti, & quidem essentielles, & tamen sine peccato veniali poni possunt à pœnitente constituto in mortali; unde sicuti non peccat, qui alia sacramentalia, v. g. benedictionem Episcopi vel aquam benedictam accipit in mortali, ita nec hic.

1247. §. 16. Qui implet pœnitentiam per actionem ex circumstantia venialiter peccaminosam, non privatur fructu satisfactionis ex opere operato, quia veniale non impedit effectum remissionis pœnæ aliis peccatis remissis debitæ, cum veniale sit compossibile cum gratia talium peccatorum remissiva. Imò putat *Lugo* n. 33. non impediri fructum satisfactionis, licet intervenire mortale, dummodo pœnitentia quoad substantiam impleatur.

1248. §. 17. Pœnitentia imponi potest sub conditione v. g. si convalescat, si fiat dives &c. Rectè tamen notat *Aversa* q. 13. s. 4. addendum simul, ut jam aliquid aliud fiat, quo integreretur Sacramentum.

1249. §. 18. Probabilius videtur pœnitentiam non debere injungi sub consilio tantùm, sed sub obligatione aliqua, uti tenent *Vasq. Turr. Con. Lug. Arr.* d. 47. s. 5. *Amic.* d. 16. n. 79. *Bosco* d. 7. s. 13. à n. 149. *Gorm* n. 332. contra multos, quos citat & sequitur *Busenb.* supra. Ratio nostra est, quia Confessarius, secundùm *Trid.* sess. 14. De pœn.

pen. c. 8., injungit ex potestate ligandi, quam  
 habet, sed non ligat, nisi obliget: Deinde in-  
 jungit tanquam Judex, sed Judex obligat ad  
 poenam promeritam, ergo. Probabilia tamen  
 sunt, quæ addit *Aversa* l. 7., nempe 1. posse  
 Confessarium, præter poenitentiam obligato-  
 riam, alia opera imponere pro libertate agen-  
 da, quæ tamen vi absolutionis etiam eleventur  
 ad satisfaciendum ex opere operato: ideoque  
*Dicast.* d. 14. dub. 3. dicit imponi posse partim  
 sub præcepto partim sub consilio. 2. Etiam  
 posse poenitentiam de se gravem & pro morta-  
 libus debitam, imponere sub obligatione tan-  
 tum levi, si expressè dicat se ita imponere, ad  
 eum modum, quo cum sententia communi  
 dixi l. 1. n. 668 materiam de se gravem posse  
 imperari sub obligatione tantum levi.

§. 19. Quamvis probabilius sit, quod cum 1250  
 aliis multis docet *Busenb.* supra, per illa verba,  
*Quidquid boni feceris &c.* non elevari omnia o-  
 pera secutura poenitentis ad satisfaciendum ex  
 opere operato, tamen viderur probabile, quod  
 verba illa aliquid operentur, uti præter citatos  
 à *Busenb.* docent *Steph.* t. 5. d. 5. n. 173. *Sporer*  
 n. 569. alique apud *Werlensem* Reg. 12. quia  
 licet non à Christo, tamen sunt instituta ab Ec-  
 clesia, quæ potest concedere indulgentias; ne-  
 que sunt merè de precativa, sed possunt per mo-  
 dum auctoritativæ sententiæ à Confessario  
 proferri. Et hæc viderur esse mens *S. Tb.* quod-  
 lib. 3. a. 13. ubi dicit opera hominis per hoc  
 accipere vim expiandi peccata: item *S. Anto-  
 nini*, & *S. Thomæ à Villa nova*, quorum verba re-  
 feram n. 1256.

Q. 172. Quanta poenitentia sint injungenda. 1251

B. G. I.

R. §. 1. Universaliter loquendo, injungi debent proportionatæ peccatis, si tamen sint accommodatæ pœnitentibus, nam *Trid. sess. 14. De Pœn. c. 8. ait, debent ergo Sacerdotes, quantum Spiritus & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum & pœnitentium facultate salutare & convenientes satisfactiones injungere, ne si forte peccatis conniveant & indulgentius cum pœnitentibus agant, levisima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem præ oculis, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad novæ vitæ custodiam & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & castigationem.*

1252.

§. 2. Quantæ olim injungi debuerint, colligitur ex canonibus pœnitentialibus Decreto Gratiani adjectis, juxta quos regulariter pro quovis mortali erat injungenda septennis pœnitentia, jejunando omni septimanâ in pane & aqua, diebus Lunæ, & Mercurii & Veneris. Similem pœnitentiam septennem etiam pro occultis peccatis statuerunt, *S. Bonifacius Archiepiscopus Moguntinus, S. Raymundus, S. Vincentius Ferrer. S. Bonav. uti refert Werlensis c. 2. a. 2. Tota quæstio hic est, an etiam hoc tempore imponi debeant tantæ pœnitentiæ.*

1253.

§. 3. Aliqui affirmant: Hinc *Werlensis citans Guillelmum & S. Cardum Borrom.* dicit illas pœnitentias jam esse falsas, quæ non imponuntur pro qualitate criminum, secundum dictos canones, consideratis tamen circumstantiis, quantum & fragilitati nostrorum temporum & qualitati pœnitentium congruunt. Idem *Werlensis c. 1. a. 5. docet ex variis Authoribus, eum verè non dolere de peccatis, qui commensurata-*  
tam

tam ejusmodi pœnitentiam admittere non vult, quia qui veraciter pœnitet, laborem pœnitentia non abborret, inquit S. Bernard. De grad. Humil. c. 78. Si in correctione minor est afflictio, quàm in culpa fuit delectatio, non est dignus pœnitentia tuae fructus, inquit Hugo de S. Victore l. 2. de Sacram. p. 14. c. 2. Hinc Werlensis num. 14. innuit nimis parvam fore pœnitentiam, si quis pro una fornicatione injungat solos 7. psalmos pœnitentiales aut aliquot Rosaria.

§. 4. Certum est pro his temporibus remissio- 1254  
se rigorem antiquorum canonum, nam S. Leo Papa Epist. 90. ait: *Multa sunt, quæ pro necessitate temporum aut pro consideratione ætatum oportet temperare*: Et S. Greg. relatus in decreto Gratiani dist. 29. c. 2. ait: *Regula SS. PP. pro tempore, loco, & persona & negotio, instante necessitate tradita sunt*. Petrus Pictaviensis f. 9. p. 2. ait: *Sicut moderni Physici temperant antiquarum violentiam potionum, sic & nos plerumque antiquorum rigorem Canonum pœnitentialium, quia non possumus sustinere censuram illius temporis, quando & corpora descenderunt*. Cardinalis Bona l. 1. Ver. Liturg. c. 18. ait: *Moribus immutatis sacros quoque ritus variari consequens fuit, & multa quidem sapientissimè œcumenicis Conciliis & à summis Pontificibus innovata fuerunt, id exigente temporum conditione, quæ pristina consuetudinis distractionem semper in eodẽ statu manere non patitur*. Similiter loquuntur S. Th. & Hugo Victor., quos referam n. 1742. Ratio jam est insinuata, quia Ecclesia, velut prudens Medicus, considerat ægrorum temperamenta, qualitates temporum, dispositionem corporum, & ea præscribit remedia, quæ hic & nunc judicantur fore utiliora.



1255

§. 5. Rigoristæ dicunt causam relaxandi disciplinam quoad pœnitentias, esse refrigerentem charitatem fidelium, sed *Contra* est, nam potius inter causas fuit, 1. Ne Confessio ab hæreticis impugnata velut impossibilis, per duras pœnitentias magis redderetur odiosa. 2. Quia successu temporis plures fuere Sacerdotes, apud quos frequentarentur Confessiones ad emendationem utilissimæ, & qui in hoc foro interno aliter mederentur peccatis per medicinas benigniores. 3. Quia animadversum est, benignas pœnitentias plus prodesse quàm rigidas, eò quòd per benignas magis allicerentur fideles ad Sacramenta Pœnitentiæ & Eucharistiæ. 4. Quia occasione belli sacri contra Turcas inductus est usus Indulgentiarum, qui secundum dicenda à n. 1314. est modus satisfaciendi pro peccatis utilior ac certior quàm observatio Canonum poenitentialium. 5. Quia successu temporis instituti sunt Ordines Religiosi, qui sunt status poenitentium utilissimi. Vide *Francol. Cler. Rom. p. 2. c. 1.*, quod enim ibi dicit de mutatione poenitentiæ publicæ in privatam, valet de mutatione poenitentiæ rigidæ in benignam: Et de hoc iterum plura habet l. 3. De discipl. poen. c. 6. §. 6.

1256

§. 6. Etiam præscindendo ab his causis, plures antiqui PP. ac viri sapientissimi meritò suaserunt benignitatem in injungendis poenitentiis. *S. Chrysof. l. 2. De Sacerd. Dialog. 2. ait: Equidem complures recensere possum, quos constat in extrema mala adactos, non ob aliud, nisi quòd digna ab iis poena, & quæ peccatis perpetratis par esset, exigere-  
retur, neque enim temerè ad delictorum modum oportet & multam ipsam adhibere, sed tanquam con-*  
jectu-

iesturis quibusdam explorandus est delinquentium  
 animus, ne qua fiat, ut dum consuere vis, quod inter-  
 ruptum est, scissuram deteriore facias, ac dum eum  
 qui lapsus est, erigere atque emendare studes, casus  
 ipse major per te reddatur: nam qui infirmi sunt ac  
 remissi & magna ex parte mundi hujus deliciis ille-  
 cebrisque illaqueati, quique à generis claritate, à po-  
 tentia & opibus habere se credunt, unde animos ma-  
 guopere tollant, ii, si sensim ac paulatim peccatorum  
 correctionem adhibeas, possunt utiq; si non penitus at-  
 tamen parte aliquà eximere se atque liberare malis  
 peccatisq; quibus occupantur, quos si justà statim a-  
 nimadversione emendes, fiet, ut minori etiam illà cor-  
 rectione, quam sustinere poterant, prives. S. Bern. ser.  
 3. De S. Andrea dicit Confessarium debere esse  
 instructum scientiâ, ut sciat, quid injungat, cui par-  
 cat, quando parcere debeat. Et infra, Habeat in vo-  
 luntate compati & liberare eum & nitatur aliquid  
 detrabere severitati imitans dulcedinem Domini sui.  
 Addit serm. 42. in Cant. Mallem aliquando tacuisse  
 & disimulasse, quod agi perperam deprehendi, quam  
 ad tantam reprehendisse perniciem, Et de nimia S.  
 Bern. severitate sub initium adhibita testatur S.  
 Francisc. Salesius in introd. ad vitam devotam p.  
 3. c. 2. Et idem S. Salesius in instr. Confess. c. 8.  
 docet benignum debere esse Confessarium, qui  
 condescendat infirmitati pœnitentis, si gravem  
 pœnitentiam nolit admittere. S. Th. opusc. 65.  
 §. 4. ait: Sit Sacerdos ita cautus, ut non imponat  
 pœnitentiam ita gravem & austeram pœnitenti,  
 ut pœnitens totum dimittat.... sed nec ita levem  
 imponat, ut peccator contemnat peccatum.... faciat  
 temperamentum ex misericordia & severitate, ut  
 pœnitentia non sit nimis dissoluta nec nimis rigida....  
 tamen tutius est imponere minorem debito quam

majorem, quia melius excusamur apud Deum pro-  
 pter multam misericordiam quam per nimiam se-  
 veritatem, quia talis defectus in Purgatorio supple-  
 bitur. Auctor operis imperfecti Hom. 43. in  
 Matth. uti refertur in decreto Gratiani, causâ 26.  
 q. 7. c. 12. ait: *Et si erramus modicam pœnitentiam  
 imponentes, ne melius est propter misericordiam  
 rationem reddere, quam propter crudelitatem? ... si  
 Deus benignus, ut quid Sacerdos ejus austerus est?  
 Vis apparere sanctus, circa tuam vitam esto austerus,  
 circa alienam autem benignus &c.* S. Bernardinus  
 De Confess. ait: *Potius imponat unum Pater noster,  
 vel quod semel de septimana vadat ad ecclesiam, vel  
 aliquid levius.* Ratione dat Catechismus Romanus,  
 quia si dimittantur sine absolutione, summopere  
 Sacerdotibus timendum est, ne semel dimissi amplius  
 non redeant. Gerson p. 2. opusc. in Reg. mor. ait:  
*Tutius est cum parva pœnitentia, quæ sponte suscipi-  
 tur, & verosimiliter adimpletur, ducere confessos ad  
 Purgatorium, quam cum magna non implenda præ-  
 cipitare in infernum.* Et hanc Gersonis sententiam  
 laudat S. Salesius, ac iisdem ferè verbis habet  
 Tritemius De vita Sacerdotum c. 6. nu. 17. S.  
 Raym. De Pennafort & B. Humbertus apud Fran-  
 col. De discipl. l. 3. c. 2. §. 2. Similiter S. Antonin.  
 p. 7. tit. 17. c. 20. ait: *Debet Confessor dare pœni-  
 tentiam, quam credat verosimiliter illum impletu-  
 rum. Quod si magna peccata commisit & dicit se  
 pœnitere, sed non posse aliquam duram pœnitentiam  
 agere, animat eum ad hoc Confessor, ostendendo ei  
 gravitatem peccatorum, & per consequens pœnarum  
 & pœnitentiarum sibi propterea debitarum, & sic  
 tandem ei injungat pœnitentiam, quam libenter sus-  
 cipiat. Et si Sacerdos non possit gaudere de omnimoda  
 purgatione ejus, saltè gaudeat, quod liberatum à ge-  
 benna*

omni tr ansmittat ad Purgatoriam. Itaque nullo modo debet permittere peccatorem desperatum recedere à se, sed potius imponat ei unum pater noster vel aliud leve, & quòd alia bona opeca, quæ fecerit, & mala, quæ toleraverit, sint ei in pœnitentia. S. Thomas de Villa Nova feria 6. post Dominicam Latere, ait, Sic rigorem pœnitentiæ temperato, ut neque levitas delicti contemptum, nec gravitas omittendi periculum creet: hoc iudicio meo ita perficies, si facilem unam injunxeris, acriorem alteram peccatori consulueris, ita tamen, ut ad omnem ejus voluntariam & spontaneam pœnitentiam Sacramenti applies efficaciam, nonnihil enim ex hac applicatione illi accrescit. Petrus Blefensis l. De pœn. & satisf. ait, Quàntò frater infirmior est, tantò ei mansuetior & indulgentior esse debes: infirmior quidem filius tenerius à matre diligitur.

§. 7. Tantò minor potest imponi pœnitentia, 1257.  
quàntò advertitur esse major contritio & verecundia de peccatis. Guido de monte Rocherii in Libello dicto, Manipulus Curatorum, De Pœn. c. 5. sic scribit: Clemens Papa IV. cùm equitaret quâdam die per Romam, quædam mulier, quæ de remotis partibus venerat, accosfit ad eum, portans unum parvulum puerum in brachiis, & voce magnâ cum lachrymis clamavit, Pater sancte miserere meî peccatrici & da mihi pœnitentiam, quia habui filium meum, quem hic porto, à filio meo. Et Papa coram omnibus absolvit eam à peccato, & imposuit ei pœnitentiam, ut jejunaret sextas ferias per annum in pane & aqua. Et mulier recedens & revolvens secum gravitatem peccati & parvitatem pœnitentiæ, credidit, quòd Papa non bene intellexisset eam, & in crastinum accessit ad Papam, & confessa est sicut prius, & Papa absolvit eam, impositâ pœnitentiâ,

quòd diceret tria pater noster. Mulier itaque recedens & secum, ut prius, peccatum pœnitentiamque volvens iteratò ad Papam rediit, & coram omnibus, ut prius, confessa est, quam Papa absolvit imponens ei pœnitentiam, quòd diceret unum pater noster. Et cum interrogaretur Papa, quare ita modicam pœnitentiam sibi imponeret, respondit, quòd plùs ascendit contritio, dolor, verecundia, quam passa est ita publicè confitendo peccatum suum, quam si omnibus diebus vitæ suæ jejunasset cum pane & aqua. Simile exemplum narrant Werlensis c. 2. a. 2. Reg. 11. & Rayn. in Heter. tom. 16. f. 1. pu. 9. n. 28.

¶ 1258.

§. 8. Quamvis secundùm dicta n. 1238. & iterum dicenda n. 1273. debeat etiam tempore Jubilæi & Indulgentiæ imponi pœnitentia, tamen communis sententia est contra Werlensem c. 6, quòd possit tum imponi minor pœnitentia vindicativa, quia per Indulgentias remittuntur pœnæ peccatis debitæ. Attamen pœnitentiæ medicinales non videntur ideo minuendæ, uti probabiliùs tenent Suar. & alii apud Bosco d. 7. f. 13. n. 386. contra multos, qui cum Lugo, Bonesp. Lohn. Steph. Spor. num. 545. putant non esse opus nequidem medicinalem imponere, eò quòd accessorium sequatur principale: sed contrà est, quòd æquè ac aliàs debeat impediri relapsus, ergo non est causa minuendi pœnitentias. V. dicenda n. 1273.

¶ 1259.

§. 9. Aliæ causæ minuendi pœnitentias sunt, 1. secundùm Vasq. Bonac. Gob. tr. 7. n. 578. si sic alliciatur pœnitens ad frequentiore[m] utilemque confessionem. 2. In dubio, an plùs obfuturam sit quàm profutura major pœnitentia. 3. Quando Confessarius scit pœnitentem ex se solere præstare multa opera bona & satisfactoria.

ria. 4. Quando Confessarius causâ diminuen-  
di pœnitentiam reflexè dicit, *Quidquid boni fe-*  
*ceris &c.* probabile enim est, secundum dicta n.  
1250. id prodesse ad satisfactionem.

§. 10. Si Confessarius ostenderit pœnitenti 1260.  
obligationes restituendi, se reconciliandi offen-  
sis vel inimicis, vitandi occasiones peccato-  
rum, opera quotidiana bene peragendi &c. non  
multùm debet esse anxius cum gravi peccatore  
non ita disposito ad subeundam gravem pœni-  
tentiam, hæ enim obligationes per se sunt satis  
graves, quas pro parte pœnitentiæ injungere  
potest. Quòd si Confessarius in rigore semper  
procederet cum talibus, esset certum pericu-  
lum, ne aut graves pœnitentias non implerent,  
aut Sacramentum eis exosum fieret, aut deni-  
que ne in desperationem laberentur: Imò no-  
tat *Busenb.* cum aliis apud *Lohner* non esse di-  
mittendum pœnitentem, qui admittere vult  
pœnitentiam saltem levem. Addit *Werlensis c.*  
*2. a. 2. §. 5. Reg. 7.* à variis Conc. & PP. statui, si  
pœnitens se excuset, & adduci nequeat ad pœ-  
nitentiam proportionatam, imponendam esse,  
quam posset & velit portare, ne fortè postea  
deterius peccet pœnitentiam infringendo. E-  
contrà si pœnitens petat aut libenter admittat  
pœnitentias majores & suo modo proportio-  
natas, tales injungendæ sunt, hinc *Gob. n. 472.*  
dicit integrum Rosarium utiliter injungi illis,  
qui quotidie illud orare solent, quamvis confi-  
teantur sola venialia: & idem est, si soleant  
Missam quotidie audire, & Missæ auditio injun-  
gatur, quia sic opera ista elevantur ad majorem  
satisfactionem. Aliquam tamen saltem levem  
pœnitentiam tenetur admittere pœnitens,

alioquin censerī non debet esse dispositus, *Viva*  
ad prop. 15. *Alex. VII.*

1261. §. 11. Si Confessarius sine justa causa minimas injungat pœnitentias, nec liberè pro officio suo admoneat pœnitentē, imprimis dat ipsi pœnitenti scandalum, qui satis advertet talem Confessarium ex humano respectu remittere de obligatione sui officii. Deinde est causa novorum relapsuum, quia pœnitens sic minùs apprehendit gravitatem sui peccati minùsque deturberetur. Præterea causa est, cur postea diutiùs ardeat in purgatorio, si enim plura & majora opera injungeret, hæc vi Sacramenti eleventur ad delendas magis pœnas.

1262. §. 12. Ex dictis constat cavendum esse excessum in alterutram partem, & pœnitentiam injungendam esse, quæ sit proportio nata peccatis, non absolutè, sed spectatâ simul pœnitentis dispositione, facultate, utilitate, hoc enim spectare debet Confessarius, ut neque nimiam indulgentiam peccatis conniveat, nec nimio rigore peccatores absterreat, neque per desperationis præcipitia impellat, neque ad vitæ dissolutionem frena relaxet: sicuti enim, inquit Petrus Blesensis supra, *confitenti necessaria est humilis & sincera devotio, sic Sacerdoti necessaria est circumspicua discretio: bonus Samaritanus oleum affundit & vinum.* In dubio autem, quid magis profuturum sit, inclinandum est in partem benigniorè, quia in ea minùs est periculi, uti dictum est, & iterum dicetur à n. 1737. *Sapientis Medici est, inquit S. Th. in 4. dist. 18. q. 2. a. 1. quæstiu. 3. à levioribus medicinis inciper e & minùs periculosis: Et d. 19. q. 2. a. 3. quæstiu. 2. paulatim procedendum est, ut quam minùs potest fieri, gravetur ille, cui medicari volumus.*

Q. 173. An pœnitentia debeant ideo esse suspecta, 1263.

quod a Religiosis Mendicantibus imponantur. R. Ita cavillatos esse quosdam, atque si Mendicantes non dent pœnitentias proportionatas, sed Alexand. VIII. damnavit hanc 31. prop. Parochianus potest suspicari de Mendicantibus, qui elemosynis communibus vivunt, de imponenda nimis levi & incongrua pœnitentia seu satisfactione ob quæstum seu lucrum subsidii temporalis. Propositionem illam à Gallia in Belgium transvexit Libellus, cui Titulus, Theophilus parochialis, editus sub emenito nomine Ludovici De Pippre. Idem olim objecerat S. Bonaventura, Guilielmus à S. amore, cui respondet, si ideo adultores sunt Mendicantes Religiosi, etiam tales fuisse Christum & Apostolos, qui communiter vivebant elemosynis: imò tales esse Pastores multos, qui sine patrimoniis ad Beneficia vocati, brevè discescunt per oblata à fidelibus. Vide S. Bonav. in apolog. pauperum Resp. 4. c. 3 Et Viva ad prop. 21. ab Alex. VII. damnatam, ubi à n. 7. ostendit, quòd rigor antiquus in pœnis infligendis ante adventum Mendicantium exoleverit.

Q. 174. An aliquando debeat, aut saltem possit imponi pœnitentia publica. R. I. Si id necesse foret ad tollendum scandalum, quod per peccatum datum esset, deberet imponi, secundùm Trid. sess. 24. c. 4. De Reform. quia jam aliunde esset obligatio, & per hoc non censeretur manifestari peccatum, utpote jam antecederet notum, sed tantùm resipiscentia & remotio scandali. Aliàs rarò expedit imponere pœnitentiam publicam.

§. 2. Peccatoribus etiam occultis posse negari absolutionem, si pœnitentiam publicam



recusent, docent cum aliis *Morinus* De adminif. Sacram. Pœnit. l. 5. c. 17. n. 7. Et *Bosco* d. 7. feft. 13. n. 296. aliique plures cum *Dicafte*. d. 14. n. 86. idem dicunt, fi hic & nunc judicaretur expedire ad terrendum & corrigendum pœnitentem: & ita *Catechif. Rom.* De Pœn. c. 12. dicit, quòd etiam pro peccatis occultis gravioribus olim imponerentur pœnitentiæ publicæ. Sed pro hoc tempore contradicunt alii communiffimè cum *Francol.* in Cler. Rom. p. 1. d. 7. nu. 11. & 20. Hinc *Castrop.* tr. 23. p. 21. §. 2. n. 5. ait, *Omnes conveniunt injuftiffimè cogi pœnitentem ad pœnitentiam publicam pro peccato occulto: ideoque Concilia, imò & Imperatores fanxerunt, ut peccatis occultis occultæ tantùm imponerentur pœnitentiæ.* Confonat *Gerson* p. 2. nu. 32. opufc. De præceptis decal. c. 19. *Hoc, inquit, pro regula certa & documento falubri teneatur, ut nunquam pro peccato secreto vel occulto pœnitentia publica pœnitentibus injungatur.* Ratio eft: quia eft contra modernam confuetudinem Ecclefiæ, modus autem adminiftrandi Sacramentum pœnitentiæ, quem jam tenet Ecclefia, non eft abufus fed laudabilis ufus, uti conftat ex prop. 18. damnata, quam num. 1330. retuli. Deinde *S. Th. Nav. Suar. Vafq. Cõn. Chapeav.* De cal. Referv. p. 1. c. 12. q. 4. *Averf.* q. 13. f. 3. docent per hoc revelari figillum faltem indirectè & in genere, quifquis enim de tali pœnitentia audiret, meritò judicaret impositam eſſe ob grave peccatum occultum, atque fic ad minimùm confefſio fieret odioſa.

*Objicies.* Non ideo manifefatur delictum, quia homines credent ex devotione talem pœnitentiam publicam à pœnitente affumi. R. Si ita

Ita esset, non frangeretur quidem sigillum, attamen facile oriatur saltem suspicio imprudens, quod hoc pro poenitentia sit impositum, & sic manifestabitur graviter deliquisse: hinc Concilium Colonense apud Francolinum n. 22. ait, *Qua poenitentia, etsi, qui deliquit, non proderet speciatim crimen suum, tamen ipso facto confitebatur & declarabat Ecclesiae, se graviter peccasse*: est autem contra sigillum, si manifestetur poenitentem graviter peccasse, ergo.

§. 3. Docuerunt aliqui salvo sigillo potuisse aliquando Confessarios deferre ad Episcopum enormia crimina, sed id absolute illicitum esse, dicitur n. 1975. Imò Rayn. in Heter. tom. 16. f. 1. pu. 9. n. 33. non omnino approbat factum S. Alberti Monachi, qui poenitentes suos prius juramento adstringebat, ut ad Episcopos irent, & eadem flagitia eis confiterentur, est enim durum nimis & alienum à consuetudine Ecclesiae ita cogi bis eadem confiteri.

Q. 175. *Quenam poenitentiae sint utiliores.* R. 1267.

§. 1. Universim illae sunt utiliores, quae sunt magis accommodatae ad hunc vel illum poenitentem discretè affligendum & efficaciter emendandum: Hinc vix prodest longas orationes imponere illis, qui vix tempus habent orandi, aut aliunde obligati sunt ad multum orandum, aut se accusant de omissis saepe longis orationibus pro poenitentia injunctis. Magis quoque conducunt pauca opera cum fervore & in gratia facta, quam multa tepidè & in statu peccati mortalis. Itaque talibus injungendae sunt aliae poenitentiae parvae & efficaces, v. g. ut certâ die aut certis festis confiteatur & communice. Ut de mysterio, ad quod maximè afficitur,

tur, vel de materia, quâ maximè terretur, per aliquod tempus quotidie mediterur aliquid. Ut librum aliquem legat efficacem pro suggerendis motivis ad hoc vel illud faciendum aut emendandum. Ut usque ad proximam confessionem manè proponat cavere hoc vel illud peccatum: vesperi autem examen instituat, & si in eo deliquerit, coneratur; si non, proponat in crastinum similiter cavere, petens ad id gratiam Dei. Ut vesperi lecto incumbens cogitet se aliquando moriturum & è lecto non surrecturum: manè evigilans omnium primò cogitet se aliquando à morte evocandum ad iudicium & de tōta vita redditurum rationem. Ut usque ad proximam confessionem, quoties hanc vel illam tentationem sentiet, cogitet Deum sibi præsentem, qui iudicabit & severè puniet, si labatur. Ut quoties lapsus fuerit, statim certam aliquam pœnam subbeat, aut intra diem à lapsu confiteatur &c.

1268.

§. 2. Eleëmofyna est divitibus, avaris, injustis efficacissimum opus satisfactionis, quia pecunia est illis quodammodo sanguis & anima effectus inordinati: cavere tamen debet Confessarius, ne eleëmofynas velit sibi vel suis applicari. Contra peccata carnis, ebrietatis, gulæ, valent macerationes corporis per jejunia, cilicia, castigationes, subtractiones commoditatum, sic enim igni ligna subtrahuntur. Contra peccata odii, invidiæ, iracundiæ, maximè valent opera humiliationis aut charitatis erga proximum, à quo est quasi naturalis aversio. Denique cum omnia peccata ex amore proprio vel nimio appetitu delectationum suarum nascentur, generale & utile remedium est, ut qui com-

missis

misit illicita in aliqua materia, in eadem etiam  
illicitis absteineat.

§. 3. Opus, cæteris paribus, est tantò magis 1269  
satisfactorium, quantò magis est meritorium,  
secundùm dicenda n. 1306. nam etiam mere-  
mur aliquam remissionem pœnæ : hinc cùm  
actus fidei, spei, charitatis sint maximè merito-  
rii & plurimùm conferant ad emendationem  
vitæ, utilissimè pœnitentibus injungentur re-  
citandi ex certis formulis. Putat *Anton. Sucquet*  
in via vitæ l. 3. c. r. fontem omnis peccati & re-  
lapsuum esse defectum fidei, non enim vivè  
credimus, quæ fides Catholica proponit, sed  
tantùm cognoscimus humano aliquo & veluti  
mortuo modo, atque ideo vel non supernatu-  
raliter, vel non satis efficaciter emoveatur vo-  
luntas nostra ad detestanda peccata & emen-  
dandam vitam ; quomodo enim possibile est,  
si homo supernaturaliter & firmè crederet  
Deum esse summum bonum, ut ita facilè eum  
offenderet ? si crederet peccatis destinatas esse  
pœnas æternas inferni, quomodo propter mo-  
mentaneam voluptatem se illis addiceret ? &c.

§. 4. Monet *S. Salesius* in Instruct. confess. c. 1270  
8. non expedire dare pœnitentias conflatas ex  
rebus diversis, v. g. ut varias orationes recitet,  
tum jejunet, tum se flagellet &c. eò quòd pœni-  
tens facilè eorum obliviscatur aut peragat sine  
fervore.

§. 5. *Rayn.* suprà ait, pars longè maxima 1271  
pœnitentiæ est increpatio, quam Confessarius  
adhibet post audita peccata, perfundens pœni-  
tentem utili rubore & optabili confusione, ea  
quippe confusio est admodum onerosa pœni-  
tenti, qui non potest tergiversari, quia tenetur  
suâ-

suam confessione. Imposita igitur à Confessario, si à poenitente excipiat patienter, habet rationem satisfactionis maximè efficacis ad abstergendum reatum poenæ etiam ex opere operato, secundùm dicta n. 1236. Et videndum, ut increpatio sit iusta, quando nempe cadit in gravia delicta: imò etiam cum gravibus peccatoribus increpatio debet esse prudens & absque convitio.

1272. §. 6. Notat Rayn. à n. 30. inutilem ac imprudentem fore poenitentiam, si Confessarius consuetudinario imponat non amplius relabi in peccatum consuetudinis, hoc enim est illum de se nimis fragilem exponere periculis novæ mortalis malitiæ; & deberet ipsi imponi medicina pro emendando peccato, non ipsa peccati ommissio, ad quam aliunde tenetur. Fatendum tamen est, posse, sed rarò, quasi in poenam admitti votum poenitentis de non relabendo, si spes sit ex occasione voti efficacioris cautelam esse adhibendam, sed expedit non permittere votum nisi ad tempus, ut exploretur, an proficit nec ne.

1273 Q. 176. Quid addendum circa obligationem poenitentis in implenda poenitentia. &c. seqq. §. 1. Quamvis S. Th. in 4. Dist. 20. q. 1. a. 3. quæstiu. 1. tantùm dicat esse *consulendum eis, qui Indulgentiam consequuntur, ne propter hoc ab operibus poenitentia injunctis abstineant*, ideoque Mendo, Beja, Lugo d. 27. s. 2. aliique multi apud Avers. q. 13. s. 9. & cum Vindice Gob. ad prop. 26. n. 20. dicant liberantem pro se Indulgentias liberari à poenitentia per Confessarium injuncta. Oppositum tamen in praxi est tenendum, tum quia poenitentia pertinet ad integritatem Sacramenti, tum quia

quia nimis incertum est, an quis plenè lucratur Indulgentias, & quamvis certò lucraretur, tamen hoc non impedit, quò minus teneatur ad poenitentiam, in quantum ordinariè semper est simul medicinalis seu præservativa à relapsu, Confessarius enim obligare potest non tantùm ut Judex ad vindictam peccati, sed etiam ut Medicus ad emendationem, uti rectè *Rodriq. Fill. Dicast. d. 14. n. 149. Viva De Jubil. q. 5. a. 2. contra Vasq. Con. Lugo, Vindicem Gob. ad prop. 27. & alios.*

*Objicies. Bonifacius VIII. dicitur in Extrav. Antiquorum De pœn. & remiss. noluisse per Confessarios in Jubilæo imponi pœnitentias vindicativas, ac insuper declarasse pœnitentes faciendo opera injuncta pro Jubilæo, liberari omnibus antecedentibus pœnitentiis &c. De his nihil habet dicta Extravagans, sed Glossator, in illam dicit Bonifacium postea interrogatum ita respondisse, quod tantùm addit auctoritatem privati Doctoris: imò ex verbis ipsiusmet glossatoris intelligitur, imprimis quòd Bonifacius voluerit pro pœnitentia vindicativa injungi opera à se præscripta, nempe visitationes Ecclesiarum per 30. vel 15. dies continuos &c. nam dicit ex mente Bonifacii, nihil debent injungere ultra injunctionem hic positam. Item Papa declaravit consistorialiter, quòd pœnitentia injuncta etiam tolluntur per commutationem operis satisfactorii hic positi, ergo ex mente Bonifacii hæ visitationes debebant injungi pro pœnitentia, & in eas fieri per hunc Confessarium commutatio prioris pœnitentiæ. Deinde ex ejusdem Glossatoris verbis constat contra Lugo & alios, saltem ex mente Bonifacii nihil debere remitti de pœnitentia medi-*

medi-

medicinali, nam expressè dicit, Pœnitentia ne-  
dum est & ad remissionem pœnarum pro commi-  
sis & omiſſis debitarum, sed etiam ad cœtelam futuro-  
rum, & quoad istud forsân potest pœnitentia injungi.  
Denique quidquid sit de Bonifacio, reliqui Ponti-  
fices nunc in Bullis Jubilæi addunt communi-  
ter, ut pœnitentia salutaris injungatur, ergo ex-  
plenda est à pœniriente.

1274 §. 2. Quando Confessio fuit invalida, non est  
opus persolvere pœnitentiam, cum nullum sit  
Sacramentum, quod compleri possit, & aliàs  
teneretur pœnitens persolvere duas pro eisdem  
peccatis, *Escob. Fagund. Bosco d. 7. f. 13. n. 367.*

1275 §. 3. Si pœnitentia injuncta fiat impossi-  
bilis, non obligat: nec opus est aliud subrogare,  
quia id non potest propriâ auctoritate, nec te-  
neris eadem peccata de novo confiteri, *Avers. f. 6. §. Quartò.* Et idem est, si oblitus sis, uti præ-  
ter citatos à *Busenb. docent Sot. Nav. Amic. d. 16. n. 96. Averf. §. Quintò. Arr. d. 48. n. 33. Sporer n. 552.* contra multos antiquos, qui volunt,  
si per culpam sit oblitus, debere Confessionem  
repeti. *Nec obstat*, quòd prius Sacramentum  
non integrè compleatur, nam sufficiens excusa-  
tio est, ne bis cogaris confiteri eadem peccata,  
à quibus directè absolutus es. In utroque tamen  
casu, si conveniri posset idem Confessarius, qui  
esset saltem confusè memor statûs pœnitentis,  
petenda esset ab eo commutatio, ut sic integra-  
retur Sacramentum: imò etiam expedit apud  
aliud Confessarium se accusare postea de om-  
nibus peccatis in genere, & petere tantò ma-  
jorem pœnitentiam, ut quantum fieri potest,  
hæc pœnitentia extendatur etiam ad peccata  
prioris Confessionis, pro quibus imposita  
erat

erat pœnitentia, quæ nunc è memoria excidit.

§. 4. Si quis eadem peccata bis confiteatur, 1276  
multi dicunt satisfacere, si persolvat alterutram  
pœnitentiam: *Bosco* n. 362. putat ex vi secundæ  
liberari à prima; & num. 357. probabiliter dixe-  
rat secundam esse complementum utriusque  
Sacramenti: Hinc etiam si quis sine sufficiente  
causa eadem peccata confiteretur secundo  
Confessario, ut ita se liberaret à pœnitentia in-  
iuncta à primo, *Suar. Côn. Lug. Avers. l. 5.* dicunt  
non peccaturum nisi venialiter, si autem ju-  
stam causam habeat, nullo modo peccat.

§. 5. Omittere materiam gravem iunctam 1277  
pro mortali primâ vice confesso, est mortale:  
materia autem gravis est una confessio vel  
Communio, quia utraque sub mortali præcipi-  
tur semel in anno vel in Paschate. Et idem vi-  
detur esse, si quis omittat Rosarium. Si tamen a-  
liquis unam ex decem v. g. Communionibus  
sibi iunctis omitteret, probabile est peccatu-  
rum tantum venialiter, quia una respectu 10.  
videtur quid leve, maximè cum per reliquas no-  
vem possit obtineri propè idem finis. Ita *Gob. &*  
*Stephan. d. 5. t. 5. n. 176.*

§. 6. Omittere materiam levem iunctam 1278  
pro mortalibus est veniale tantum, uti cum  
communi *Aversa l. 6. §. Tertio. contra J. Sanch. d.*  
*15. n. 17.* quia secundum dicta l. 1. n. 667. ma-  
teria levis non est capax obligationis gravis.  
*Nec obstat*, quòd Sacramentum maneat incom-  
pletum, nam est completum essentialiter, com-  
pletio autem integralis per materiam levem  
non obligat nisi leviter secundum materiam

§. 7. Si quis omittat pœnitentiam gravem 1279  
iunctam pro venialibus vel pro mortalibus



ante hac confessis, docent *Nugn. Côn. Fagund. Lugo* & alii esse mortale, quia pœnitentia est de se gravis, & Confessarius potest illam injungere; ergo sicuti mortaliter peccat, qui materiam gravem voti non implet, quamvis voverit ex causa, item qui violat jejunium à Superiore præceptum ex fine de se non magno, ita & hic. E. contra *Navar. Sot. Palud. Ledesm. Suar. Laym. Fill.* alique, quos citant & sequuntur *Avers. q. 13. l. 6. §. Secundò. Dian. p. 3. t. 4. R. 102. & 136.* dicunt esse veniale tantùm, quia hæc materia, in quantum est gravis, non est necessaria; cùm Confessarius neque sub gravi peccato neque materiam gravem teneatur pro talibus peccatis imponere, ergo materia, quæ necessaria est respectu peccatorum pœnitentis, est tantùm levis, ergo hanc omittere erit tantùm veniale. Ad exempla opposita de voto & præcepto, dant disparitatem, quòd vovens sine ulla causa possit sibi imponere obligationem gravem, uti & Superior subdito, non habitâ occasione ullius culpæ: E. contra Confessarius non possit imponere obligationem pœnitenti, nisi adsit culpa, nec imponere possit obligationem gravem, nisi materia necessaria hujus absolutionis sit gravis, cùm debeat obligare ut Judex proportionatè ad materiam necessariam gravem vel levem. Utraque sententia est probabilis.

1280

§. 8. Cui injunctum est, ut oret v. g. septem psalmos pœnitentiales, potest orare stando vel ambulando. Si injunctum sit, ut oret flexis genibus, *Diana R. 55. Dicast. d. 14. n. 81. Averf. l. 3. §. Septimò. Tamb. De conf. l. 4. c. 2. n. 14.* putant fore mortale omittere genuflexionem, quia hæc videtur esse res gravis spectans ad substantiam

tiam molestiæ: Sed de hoc vehementer dubi-  
to, nam flectere ad tempus, quo recitantur illi  
psalmi, non videtur esse molestia tanta, ut si quis  
negligat, peccet mortaliter: E contra tamen pu-  
tarem esse molestiam gravem, si deberet orare  
expansis brachiis. Similiter si injungeretur ali-  
cui jejunium in pane & aqua, videtur peccatu-  
rus mortaliter, si jejunaret tantum more Ecclē-  
siastico, quia illa circumstantia addit notabilem  
difficultatem.

§. 9. Si Confessarius injunxerit pœnitenti, 1281  
ut per 15. dies quotidie duas Missas audiat, non  
ideo tenetur die festivo tres audire. Si injunxerit  
omni die per mensem Missam, satisfacit die fe-  
stivo audiendo unicam, *Dian. Avers. §. Unde.*  
*Amic. d. 16. n. 90.* Si injunxerit eodem die duas  
Missas, quamvis *Maj. Ledes. Sanch.* putent eum  
satisfacere, si audiat duas simul, quod *Amicus n.*  
*112.* vocat probabile, tamen ordinariè præsumi  
debet voluisse eas audiri successivè. Si injunxe-  
rit eleëmofynam, satisfacit, si det extremè indi-  
genti, *Laym. Lugo, Gob. Spor. n. 544.* Non ta-  
men si det parenti vel alteri propinquo, cui te-  
netur ex justitia succurrere, quia tum non cen-  
setur eleëmofyna, *Lug. Amic. n. 90.*

§. 10. Si materia pœnitentiæ injunctæ sit di- 1282  
visibilis, quamvis pars ejus major adimpleri  
non possit, debet adimpleri pars licèt minor,  
ut colligitur ex paritate de Horis Canonicis,  
nam *Inn. XI. damnavit hanc 54. prop. Qui non*  
*potest recitare Matutinum & Laudes, potest autem*  
*reliquas Horas, ad nihil tenetur, quia major pars*  
*trahit ad se minorem.* Ratio generalis est, quia licèt  
quis non possit solvere totum, tamen tenetur  
ad partem, quam solvere potest. Et ratio à

priori est, quia quando materia est divisibilis, mens præcipientis tendit divisibiliter, secundum naturam materiæ, cujus singulæ partes faciunt ad finem intentum. Hinc videtur probabilius contra *Dian.* p. 9. t. 9. R. 54. *J. Sanch.* d. 15. n. 3. si alicui sit injunctum, ut jejundet in pane & aqua, si sic non possit, teneri more Ecclesiastico, quia manet substantia jejunii, separabilis ab illa circumstantia.

1283 §. 11. Pœnitentia, per se loquendo, debet persolvi per ipsum pœnitentem, nam *Alex.* VII. damnavit hanc 15. prop. *Pœnitens propria authoritate substituere alium sibi potest, qui loco illius pœnitentiam adimpleat.* Unde audiri jam non debent *Palud.* & alii apud *Lugo* d. 25. n. 79. qui putârunt posse tum saltem persolvi per alium, si pœnitens tempore illo velit occupari in actione Deo magis grata, aut si mandet fieri per alium sanctiorem, cujus opus erit magis satisfactorium, nam rectè contradicunt *Mendo* d. 10. nu. 105. *Viva* ad prop. istam damnatam, quia obligatio adimplendi pœnitentiam, uti & audiendi Missam ac legendi Horas, est personalis: & ideo etiam *Florent.* & *Trid.* dixerunt actus pœnitentis esse materiam hujus Sacramenti.

1284 §. 12. Confessarius potest concedere, ut pœnitentia per alium persolvatur, *S. Th. S. Bonav. Sot. Silv. Ang. Suar. Tann. Avers.* l. 4. §. Denique. In quo casu *Suar. Fagund. Præp. Fill.* & alii cum *Arr.* d. 48. n. 12. putant actionem alterius persolventis posse dici satisfactionem & prodesse pœnitenti ex opere operato, licet fieret in peccato mortali, sicuti Missa ex opere operato prodest procuranti illam, licet celebretur ab impio Sacerdote: Sed contradicunt *Vasq. Cõn. Laym. Bonac.*

*Bonac. Amic. Lug. Dicast. Avers.* dicentes nos aliunde scire, quòd Missa pro alio oblata habeat hunc effectum, quale fundamentum non est dicendi, quòd actio aliena tanquam pars Sacramenti Pœnitentiæ, quod suscipio, possit mihi applicari ad effectum ex opere operato. Et ideo videtur probabilius dici, quòd pars materialis integrans Sacramentum sit ipsa procuratio, quâ pœnitens facit, ut alter secundum voluntatem Confessarii peragat illud opus pro ipso, hoc autem alterius opus non sit pars Sacramenti, nec aliquid causet ex opere operato.

§. 13. Multò magis potest pœnitentia per- 1285.  
solvì per alium, si opus ab alio factum censeatur fieri ab ipso pœnitente, uti eleëmotyia, perinde enim est, sive det suâ sive alienâ manu, cum præcipuè intendatur, ut privet se re suâ ad sublevationem pauperis. Et idem est, si ipsi imposita sit restitutio, potest enim æquè per alium fieri.

§. 14. Probabilius est, quòd pœnitentia sa- 1286.  
cramentalis persolvì debeat ex aliqua intentione satisfaciendi pro illa, quia ut ex opere operato aliquid efficiat, debet esse aliquid pertinens ad Sacramentum, & ratione illius suscepti causare suum effectum, non videtur autem esse aliquid pertinens ad Sacramentum, nisi expleatur cum aliqua intentione saltem virtuali reflectente ad Sacramentum vel ad impositionem Confessarii, *Vasq. Dicast. n. 189. Palav. à n. 280. Mendo q. 4. Aversa q. 3. s. 6. §. Nonò. contra Sanch. Lugo à n. 37. Bosco d. 7. s. 13. à nu. 237. & alios. Nec obstat, quòd aliis præceptis satisfiat, v. g. die festivo. si Missam audias, licèt ignarus aut immemor festi, nam ejusmodi præcepta tan-*

tum postulant poni opus ex quacunque intentione : imò licet adesset intentio per talem actionem non satisfaciendi, adhuc satisfaceres, uti dictum est l. 1. num. 693. Oppositum est in actionibus sacramentalibus, nam si antehac voveras semel audire Missam, & etiam antehac pro pœnitentiâ unam Missam tibi injunxerat Confessarius, si hoc die festo audias Missam immemor voti, pœnitentiæ & festi, omnes dicent te satisfecisse præcepto de Missa die festo audienda, non item pro obligatione voti vel pœnitentiæ sacramentalis, nam non poteris per unicam Missam satisfacere utrique huic obligationi, uti suppono ex declarata tibi voluntate Confessarii, nec ratio est dicendi, quòd pro hac obligatione potiùs satisfeceris quàm pro illa, nisi adfuerit intentio determinans ad hunc vel illum finem, ergo. Hinc videtur dicendum esse contra *Suar. & Mendo* nequidem sufficere, si postea intra tempus, quo tale opus fieri debebat, velis per illud satisfecisse pro pœnitentiâ, nam hæc voluntas sequens habet se per accidens, nec potest facere, ut opus præteritum fuerit aut nunc fiat aliquid pertinens ad Sacramentum.

1287 §. 15. Si Confessarius non determinaret tempus, quo persolvi deberet pœnitentiâ, mens ejus præsumitur esse, ut persolvarur primo tempore, quo commodè fieri poterit, quia secundùm dicta l. 1. n. 587. *in omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, præsentis die debetur.* Reg. 14. ff. De Regulis juris: ubi per *Tò præsentis die* intelligitur primo quocunque tempore.

1288 §. 16. Diu differre pœnitentiâ sine causa, v. g. ad medium annum, communiter censetur

TROR

mortale, maximè si pœnitentia fuerit medicinalis, quia cum Confessarius præceperit ad præservationem à relapsu, voluit nunc adhiberi, quando erat periculum. E contra si fuerit pœnitentia vindicativa tantùm, non videtur esse mortale ad mensem differre.

§. 17. Cui injunctum est, ut per annum 0- 1289  
 omni mense confiteatur, putat *Lugo* d. 25. n. 97. peccare mortaliter, si vel per diem differat ultra talem mensem; sed rectè contradicit *Aversa* q. 13. l. 6. præsumitur enim mens Confessarii esse, ut tum sequente mense bis confiteatur. Unde si occasione festi, Indulgentiæ vel Jubilæi differret ad octo dies in alterum mensem, docent *Dian. Castrop. J. Sanch.* d. 13. n. 9. nullo modo peccaturum; quod magis valet, si anticipet, uti notat *Avers.*

§. 18. Qui jussus est jejunare pro pœnitentia 1290  
 hac die Veneris, & jejunat priùs sequente; aut communicare proximâ Dominica, & differt ad octiduum, ordinariè peccat tantùm venialiter, quia plerumque præceptum Confessarii cadit magis in rem ipsam præstandam quam in tempus præfixum, *Dian.* p. 9. t. 7. R. 57. *Sporer* n. 577. Ideoque rectè notant Authores cum *Aversa* suprâ & *Mendo* d. 10. n. 97. non cessare obligationem jejunandi, quamvis transierit illa dies Veneris, quæ statuta erat, non ad terminandam sed urgendam obligationem. Si tamen alicui injunctum sit, ut jejunet omni die Sabbathi in honorem B. Virginis, aut ut communicez omni festo B. Virginis, putant *Côn. Gob. Sporer* suprâ, si talem diem negligat, non teneri aliâ die, quia mens Confessarii videtur fuisse, alligare opus tali diei: Sed rectè notat

*Mendo*, si Confessarius unicum tale opus pro una vice injunxerit, non esse præsumendum, quòd voluerit alligare dici, nisi substituerit aliud opus exequendum in casu, quo alterum tempore præfixo non fieret, quia præsumi non debet, quòd Confessarius voluerit Sacramentum manere incompletum, quod fieret, si tum defineret obligatio ad omnem pœnitentiam; hinc debebit aliâ die explere. Et in plerisque horum consentiunt etiam *Lugo & Dicast.* d. 14. à num. 55.

1291 §. 19. Potest satisfieri pœnitentiæ eodem tempore, quo satisfit alteri præcepto vel obligationi, dummodo unum opus non excludat aut impediat alterum, sic qui pro pœnitentia tenetur orare Rosarium, satisfacit orando sub Missa, ad quam tenetur die festo, vel ex voto, quia oratio Rosarii non tollit sed maxime convenit attentioni ad Missam.

1292 Q. 177. *Quid addendum sit circa commutationem pœnitentiarum in Confessione injunctarum.* R. seqq. §. 1. Pœnitens non potest suâ auctoritate pœnitentiam permutare in aliquid melius, uti habent Auctores cum *Busenb.* supra, & idem docent *Aversa* q. 13. l. 8. *Arr.* d. 48. l. 5. *Amic.* d. 16. n. 54. *Tamb.* De conf. l. 4. c. 3 §. 1. n. 15. *Gorm.* p. 2. n. 339 *Dicast.* tamen d. 14. n. 134. non audet oppositam sententiam appellare parum probabilem: sed rationes nostræ videntur claræ, 1. Quia reus non potest ferre circa se sententiam, nec mutare pœnam sibi à Judice injunctam, uti nec subditus opus sibi injunctum à Superiore, alioquin posset quis similiter loco Missæ audiendæ velle communicare, loco jejunii velle confiteri &c. 2. Id, in quod commutabit,

abit, non erit satisfactio integrans Sacramen-  
tum, nec erit sacramentalis, nec remitter pœnas  
ex opere operato, quia non veniet à potestate  
clavium, ergo. *Nec obstat*, quòd aliquis possit  
suum votum commutare in melius, quia obliga-  
tio voti erat ab ipsomet vovente, qui etiam ab  
initio per votum intendebat id, quod est melius,  
ideoque potest illud sibi substituere.

§. 2. Communissima sententia est cum *Arr.* 1293.  
n. 25. contra *Valent. & Tann.*, quòd alius Con-  
fessarius non possit extra Confessionem mutare  
pœnitentiam à priore Confessario injunctam,  
& secundùm *Lugo* n. 110. oppositum non est  
probabile, quia extra Confessionem & respectu  
Confessionis, quam non audivit, non habet plùs  
potestatis quàm laicus.

§. 3. *Sor. Vasq.* & alii docent pœnitentiam ab 1294.  
uno Confessario impositam non posse minui  
aut mutari per alium, etiamsi pœnitens apud  
hunc repetat peccata, ob quæ fuit imposita,  
quod *J. Sanch.* d. 14. n. 19. defendit tanquam  
absolutè verum specularivè, tum quia unus Ju-  
dex, qui superior non est, non potest ultimam  
& definitivam alterius sententiam mutare aut  
reformare, cùm par in parem non habeat juris-  
dictionem, in hoc autem foro omnes sint pa-  
res; tum etiam quia primum Sacramentum  
nunquam integrè compleretur. E contra posse,  
si peccata repetat, tenet sententia communis  
cum *Silv. Suar. Lugo, Fagund. Arr.* n. 26. *Dicast.*  
à n. 116. *Aversa* suprà, dicitque *Becanus* esse in  
praxi securum: Quod tenent *Bonac.* & alii com-  
muniter cum *Dian.* p. 3 t. 4. R. 137. *Dicast.* n.  
148. *Lugo* n. 114. *Arr.* n. 29. contra *Zerolam*,  
quamvis injuncta pœnitentia fuisset medicina-



lis, si non sit absolutè necessaria, aut si substitua-  
tur similiter medicinalis. Hoc ipsum dicunt, li-  
cèt pœnitentia à Confessario superiore imposta  
esset, quia præscindendo à reservatione pecca-  
torum, habent Confessarii æqualem potestatem  
ad ligandum & solvendum, ergo etiam ad mu-  
tandam pœnitentiam, uti rectè *Beja* p. 1. casu  
15. & *Gorm.* n. 341., posterior enim Confessa-  
rius est velut successor primi, ergo sicut posset  
primus mutare, ita & posterior: ideoque earum  
postremâ impletâ censebitur compleri utrum-  
que Sacramentum, quia prior quasi transit in  
secundam. Hoc ipsum fieri posse tenent *Hen-  
riq. Bonac. J. Sanch.* à n. 13. *Dicast.* n. 120., et-  
iamsi pœnitentia fuisset à superiore imposta  
propter peccata reservata, quod probabile esse  
fatetur *Amic.* n. 49. Contradicunt tamen *Suar.*  
*Lugo* n. 105. *Arr.* n. 30. *Beja* suprâ, *Gorm.* n. 349.  
*Aversa*, quia inferior non potest mutare præ-  
ceptum superioris; sed *Dicast.* respondet, cum  
semel sublata sit reservatio, æqualem esse in  
omnibus Confessariis potestatem.

1295.

§. 4. Si pœnitens non repetat priora pecca-  
ta apud secundum Confessarium, *Suar. Vasa.*  
*Côn.* alique multi cum *Lugo* n. 107. & *Aversa*  
negant hunc etiam in confessione posse mutare  
pœnitentiam, quia nullus Judex potest agere  
circa aliquid, quod ad suum tribunal delatum  
non est, ergo tantùm poterit declarare pœni-  
tentiam fuisse aut esse irrationabilem vel im-  
possibilem, quod etiam quivis alius prudens  
facere posset: è contrâ si petatur commutatio,  
etiam ideo quia prior nunc nimis difficilis est,  
docent *Nav. Tolet. Henriq. Rodriq. Sa, Laym. Dian.*  
*Gob. Marchant. Beja, Sporer* suprâ n. 589. alique  
mul-

multi apud *Bosco* d. 7. l. 13. n. 352. & 359. posse  
nunc alium Confessarium in Confessione eam  
mutare, quia licet judicare non possit de pecca-  
tis præteritis sibi incognitis, tamen cum pœni-  
tens se etiam ipsi subjiciat, videtur habere po-  
testatem judicandi, an nunc expediat ipsi ea  
pœnitentia necne. Prima sententia est longè  
probabilior, hinc secundam esse improbabilem  
dicunt *J. Sanch.* d. 14. & *Arr.* n. 28., quamvis  
*Lugo* n. 109. fateatur esse in praxi probabilem  
saltem per principia extrinseca.

§. 5. Ut alius Confessarius possit mutare 1296  
pœnitentiam, fatentur omnes communiter non  
requiri omnino exactam repetitionem peccato-  
rum, sed sufficere aperire præcipua, ob quæ  
talis pœnitentia injuncta erat: & fortasse suffi-  
ciet, inquit *Aversa*, dicere, quod ob similia,  
qualia nunc confitetur, talem acceperit pœni-  
tentiam.

§. 6. Idem Confessarius potest in alia Con- 1297  
fessione pœnitentiam mutare quocumque po-  
stea tempore, dummodo recordetur statûs pœ-  
nitentis, & in confuso peccatorum, ob quæ im-  
posita fuit, uti tenent omnes communiter; sicu-  
ti Judex potest moderari pœnam à se dictatam,  
quamdiu executioni non est data.

§. 7. *Suar. Cõn. Aversa, Amic.* n. 46. *J. Sanch.* 1298  
n. 10. *Dicast.* n. 128. dicunt nequidem eundem  
Confessarium posse extra Confessionem muta-  
re pœnitentiam, licet recordetur statûs pœni-  
tentis, quia nullam habet potestatem clavium,  
nisi dum sedet in suo tribunali & agit partes  
Confessarii, quas non agit, nisi quando tractat  
de absolutione danda, aut post hanc intra tam  
breve tempus, ut adhuc censeatur durare actus  
judi-

judicialis, uti limitant multi apud *Lugo* n. 111. qui n. 112. cum *Salas* probabiliter concludit posse etiam quocumque alio postea tempore, dummodo adhuc habeat memoriam confusam peccatorum, quæ sufficeret ad imponendam poenitentiam; & consentiunt *Arr.* n. 31. *Haun.* l. 4. n. 1045. quia quamdiu poena imposita non est impleta, *Judex* habet jus agendi circa ejus impletionem, ergo etiam circa immutationem, si reus petiverit.

1299. § 8. Ut commutatio fiat, sive ab eodem sive à diverso Confessario, debet hic scire de hoc, & velle commutare, quia quamdiu non revocatur obligatio ad priorem poenitentiam, illa manet in possessione, *Lug.* n. 103. *Avers.* supra, *Arr.* n. 33. tamen *Dicast.* n. 119. putat non esse improbableem, quòd confitens eadem peccata possit tacere, & postea peragere poenitentiam, quam voluerit, primam aut secundam tantum: Et tum saltem, quando Confessarius scienter commutavit, v. g. jejunium in orationem, docent *Suar. Regin. Less. Dicast.* n. 131. *Bosco* n. 360. contra *Lugo*, liberum esse poenitenti alterutram facere, quia commutatio erat in favorem, & posterior materia non est substituta absolute sed sub conditione, si nolit priorem.

1300. § 9. Causa sufficiens in commutatione minuendi poenitentiam est, secundum *Lohner*, si poenitens à tempore impositæ poenitentiae lucratus sit aliquas Indulgentias, item si interea multa bona opera fecerit, si cum majore fervore aut cum minore periculo peccandi executurus est hanc novam materiam &c.

## ARTICULUS II.

## De satisfactione per Indulgentias.

## §. I.

Quid sit Indulgentia, & quid ad eam requiratur.

Resp. I. Indulgentia est gratia, quâ certo <sup>1301</sup> aliquo opere quod concedens præscribit, præstito, debita Deo pœna temporalis, (non autem culpa) extra Sacramentum, Sacrificium & Martyrium, per applicationem satisfactionis Christi & Sanctorum, remittitur: idque vel per modum absolutionis, erga subditos Ecclesiæ; vel nudæ solutionis, erga non subditos, ut defunctos & catechumenos, quibus proinde tantum dantur Indulgentiæ per modum suffragii. *Suar. Kon. Fill. Sanctarel. Bon. d. 6. q. 1. p. 1.*

Resp. II. Ad valorem Indulgentiæ requiratur causa pia & rationalis, eaque, ut habet sententia communior *Suar, & aliorum*, proportionata effectui & quantitati Indulgentiæ, saltem secundum concedentis prudentem æstimationem, petendam non ex operis tantum difficultate, sed sine intento, & operis ad eum utilitate. Ratio desumitur ex natura dispensationis bonorum, quæ sine causa ab inferiore facta non valet, & est dissipatio. *Auth. cit.*

Resp. III. Ad lucrandas Indulgentias requiruntur hæ conditiones. 1. Ut sit baptizatus. 2. Ut sit subditus concedentis. 3. Ut non sit ligatus.

»ligatus excommunicatione majore, ut habet  
 »communis: quia hæc privat communione bo-  
 »norum spiritualium. 4. Ut sit in gratia, saltem  
 »tunc, quando opus præscriptum completur ;  
 »quia poena non remittitur ante culpam. 5. Ut  
 »opus injunctum moraliter totum & integrè  
 »impleatur. 6. Ut opus præscriptum sit hone-  
 »stum, saltem ex objecto : nam sufficit vitiatum  
 »ex fine inhonesto veniali, vel ex alia circum-  
 »stantia prava, ( ut docet *Suar. & alii communi-*  
 »*ter contra Kon.* ) saltem si nihilominus condu-  
 »cat ad finem Pontifici propositum, ut limitat  
 »*Lay.* Ratio prioris est, quia illud opus plerum-  
 »que complet causam Indulgentiæ, quæ debet  
 »esse pia. Ratio posterioris : quia ratio injuncti  
 »operis est assecutio finis intenti à Pontifice, *v.*  
 »*Lay. Bon. d. 6. q. 1. p. 5. Unde resolves,*  
 » I. Indulgentiis etiam frui potest , qui eas  
 »concessit.  
 » II. Non expirant morte concedentis, cum  
 »sint gratiæ; nec, ut habet *Sa.*, ante notitiam re-  
 »vocationis.  
 » III. Etsi intelligendæ sint, ut sonant ; cum  
 »tamen sint gratiæ , largè sunt interpretandæ  
 »( nisi sint de poenitentiis injunctis, ut ex *Henr.*  
 »*&c.* notat *Amicus d. 20. num. 77.* ) servatâ ra-  
 »men verborum proprietate. Unde censendæ  
 »sunt perpetuæ, si datæ sunt sine temporis re-  
 »strictione.  
 » IV. Etsi data pro articulo mortis, secundum  
 »*Sa* expiret, quando semel est accepta, contra-  
 »rium tamen est probabile, ob rationem da-  
 »tam. Illa autem non requirit applicationem  
 »Confessarii aut alterius ministerium, *Quint. in*  
 »*append. t. 9. d. 3.* Expediet tamen moribundos  
 ad

ad invocationem nominis JESU & MARIÆ  
 sapientius excitare, simulque in memoriam revo-  
 care intentionem lucrandi istas Indulgentias.  
*Ibid. d. 4.* probabile enim est, si habet plures ima-  
 gines, grana, rosaria, &c. benedicta, posse (sive  
 intuitu ejusdem concessionis, sive diversarum)  
 toties lucrari, quoties nomen JESU repetierit,  
 vel præstiterit opus requisitum. *Ibid. d. 6. ex*  
*Shay. Gran. &c.* Sufficit autem ad eas lucran-  
 das quodvis tempus, in quo verificatur mortis  
 articulus, etsi pluribus diebus ab ipsa morte  
 absit. *Ibid. d. 5.*

V. Possunt moribundi plures indulgentias  
 plenarias, ob plures titulos concessas simul lu-  
 crari; v. g. qui habent plura rosaria, vel grana,  
 cruces, imaginesque, quibus sint applicatae, vel  
 titulo suæ Religionis, Confraternitatis, &c.  
 dummodo non requirant certa opera pro spe-  
 ciali necessitate applicanda, *Quintan. d. 4.* Idque  
 etiam si eas, vel earum aliquas ignoret, aut non  
 recorderetur. *Ibid. ex Lug. Dian. & aliis 6. contra*  
*Rodriq. Trull. &c.*

VI. Requiritur autem, ut moribundus cru-  
 cem, granum, imaginem, &c. secum habeat  
 in articulo mortis, ut ratione illius lucretur:  
 & quidem ut tutius ac certius obtineat, ejus  
 habeat dominium seu possessionem, & apud  
 se teneat. Non tamen est necesse, ut collo ap-  
 pensa, brachio obvoluta, manuve appre-  
 hensa sint, (etsi aliquo horum modorum ha-  
 bere sit tutius) sed sufficit esse in lecto, vel  
 juxta moribundum; licet ipse nec videat, nec  
 tangat, nec sciat, aut recorderetur se habere  
 (nisi aliud exprimat) sufficere etiam habere  
 commodata, seu quoad usum (præsertim si id  
 in

in ipso Indulto exprimatur, ut in Caroli Bor-  
romæi, & quinque Sanctorum fit.) Neque ne-  
cesse est retinere, donec expiret, ( etsi & hoc  
fit rarius) sed sufficit in aliquo mortis articulo  
habere, in eoque nomen JESU ( si hoc requi-  
ritur) invocare. *ibid. d. 6.*

VII. Concessæ vivis, non possunt applica-  
ri defunctis, nisi id exprimatur, quia pendent  
à voluntate concedentis.

VIII. Probabile est, concessam pro certo  
tempore posse sæpius obtineri, repetendo  
opera præscripta, v. g. eodem die, nisi addita  
sit restrictio, quia favores sunt ampliandi. Ita  
*Henriq. & Rodriq.* Contrarium tamen videtur  
probabilius, ob voluntatem concedentis con-  
trariam rationabiliter præsumptam. *v. Lug. d.*  
*27. à n. 95.*

IX. Etsi consultum sit, ut opera omnia fiant  
in gratia, id tamen non videtur simpliciter ne-  
cessarium: Laborandum tamen est Conco-  
natoribus & Confessariis, ut cum Indulgen-  
tiæ promulgantur, populum ad seriam Con-  
fessionem excitent.

X. Ut quis lucretur pro defunctis, proba-  
biliter non requiritur, ut sit in gratia, quia tan-  
tùm ponit opus tanquam conditionem; quo  
posito, Pontifex applicat defuncto Indulgen-  
tiam, sive satisfactiones Christi, & Sanctorum.  
Ita *Escob. t. 7. E. 5. c. 7 n. 45. ex Suar. & Præp. n. 3.*  
*p. q. 14. dub. 10. n. 93.* Contrarium tamen docet  
*Lug. num. 75.* requirens statum gratiæ saltem  
saltem in fine operis; quæ sententia rutilior est.

XI. Opus præscriptum dum fit, debet esse  
utile ad finem à concedente intentum; qualis  
est, v. g. eleëmofyna præscripta pro redem-  
ptione

ptione captivorum, etiã fiat cum aut in pecca-  
to, ( modò aliud opus ei injunctum, & præ-  
scriptum, in gratia fiat. v. *Lug. n. 84.* ) non au-  
tem oratio, præscripta ad placandum Deum,  
si ipsamet sit peccatum ex mala circumstantia;  
uti nec jejunium si te inebries, item nec visita-  
tio ecclesiarum sine devotione, Ita *Laym. Bon.*  
& alii.

XII. Possunt uno & eodem opere plures In-  
dulgentiæ, diversis viis concessæ, lucrifieri, si  
opus sit æquè utile ad finem utriusque Indul-  
gentiæ, nec sit iterabile intra idem tempus, uti  
jejunium vel Communio, Ita *Præp. & Lay.*

XIII. Non lucrantur Indulgentias, I. Qui  
ex impotentia vel ignorantia, sive totum opus  
præscriptum, sive notabilem ejus partem o-  
mittunt, v. g. si puer vel senex non jejunet, nisi  
tamen ob gravem difficultatem hoc opus ei in-  
aliud est commutatum *Henr. Cajet. Bon. p. 5.*

n. 16. II. Qui opera injuncta alio loco, tem-  
pore, vel ordine perficit, quàm præscriptum  
est; vel per alium, qui fuerit causa principalis,  
ut si per alium jejunarit, ecclesias visitarit.

*Nav. Reg. l. 7. Bon. l. c.* III. Qui famulo tradi-  
dit eleëmofynam erogandam, quam is reti-  
nuit, ut habet *Bon. ex multis, contra Sa.* IV. Qui  
aliquid omittit, quod secundùm sententiam  
probabilem, vel etiam probabiliorem, non est  
necessarium, si tamen sit necessarium reipsã,  
quia communis error non supplet defectum,  
Ita *Bon. ex Suar. Sanch. & aliis.*

XIV. Non obstat effectui indulgentiæ. I. Et si  
ex opere requisito modicum quid omittatur,  
v. g. cæremonia in sacro, vel si parùm come-  
das in jejunio; quia opus ponitur moraliter in-



- »tegrum. II. Si opus requisitum præstet per a-  
 »lium, habentem se ut instrumentum, v. g. in  
 »eleëmofyna danda. *Bon. l. c. III.* Si eleëmofy-  
 »nam des exiguam; nisi tamen in Bulla expri-  
 »matur, dandam esse pro cuiusque facultate,  
 »tunc enim major danda est à divite, quàm alio.  
 »Ita *Fill. Suar. Sa & alii. IV.* Si Ecclesiam visitan-  
 »dam non possis ingredi, ob hominum multi-  
 »tudinem, dummodo oratio fiat ante fores, vel  
 »in cœmeterio, *Bon. V.* Etsi in opere præstito  
 »non habueris intentionem consequendi in-  
 »dulgentias, ut docet *Salas, Bon. & alii* contra  
 »*Suar.* Et videtur certum, saltem si habueris in-  
 »terpretativam, ut habet *Laym.* VI. Etsi opera  
 »fuerint aliunde debita, v. g. ex præcepto Ec-  
 »clesiæ, Ita *Layman.*  
 » XV. Quando datur potestas commutandi  
 »opera præscripta in alia, id non necessariò fit in  
 »Confessione, & à Confessario, qui audit confi-  
 »tentem; sed potest fieri extra, & ab alio idoneo:  
 »ita enim declarat Gregorius XIII. (ut & in  
 »Bulla indulgentiæ, nomine Confessarii, intel-  
 »ligi quemvis approbatum) apud *Henriq. l. 7. c.*  
 »*10. n. 8. & Præpos. q. 14. dub. 10. n. 88.*  
 » XVI. Probabilius est eum, qui tantum par-  
 »tem operis præscripti facit, non lucrari partem  
 »Indulgentiæ, nisi tam parum desit, ut censea-  
 »seatur moraliter integrum, Ita *Bon. p. 5. ex Nav.*  
 »*Suar. Kon. & c.*  
 » XVII. Cùm præscribitur, ut visitentur ali-  
 »quot altaria, sufficit ad illa se orando conver-  
 »tere ex eodem loco, ut habet *Sa, Bon. p. 1. Suar.*  
 »*Rodriq. Dian.* Limitat autem *Lug. n. 98.* si sit  
 »tali loco & situ, ut moraliter cenferi possit ora-  
 »re ad illa altaria.

XVIII,

XVIII. Cùm confessio præscribitur, nisi in Bulla exprimat, venialium, probabilius est, non requiri ut conditionem, sine qua non, sed ut dispositionem ad statum gratiæ, *Bon. l. c.*

XIX. Nemo consequitur plenariam Indulgentiam peccatorum omnium, nisi omni culpa, etiam veniali, liber sit, quando ultimum opus explet: Unde consultum est, ut Communitio sit ultimum. *v. Laym.*

## A D D E N D A.

Quest. 178. Quid notandum sit in genere circa satisfactiones in hac vita pro peccatis. *R. seqq.*

§. 1. Certum est, quod præscindendo à Sacramento & Indulgentiis, quas dat Ecclesia, possit homo ex opere operantis saltem aliqua ex parte satisfacere in hac vita pro pœna temporali debita peccatis suis remissis, nam ita docet *Trid. sess. 14. De Pœnit. c. 8. & 9. item can. 12. & 14.* Suntque opera nostra non tantum conditio, ad cuius præsentiam nobis applicentur merita Christi, sed vera causa meritoria, possuntque esse de condigno satisfactio pro pœna illa: hinc damnatæ sunt hæ Propositiones Bajanæ: 59. *Quando per eleemosynas aliaque pœnitentiæ opera Deo satisfacimus pro pœnis temporalibus, non dignum pretium Deo pro peccatis nostris offerimus, sicut quidam errantes autumant (nam alioqui essemus saltem aliqua ex parte redemptores) sed aliquid facimus, cuius intuitu Christi satisfactio nobis applicatur & communicatur.* 77. *Satisfactiones laboriosæ justificarum non valent expiare de condigno pœnam temporalem restantem post culpam condonatum.*

1303. §. 2. Per satisfactionem pro pœna hic intelligitur compensatio aliqua honoris & auctoritatis Dei per peccatum læsæ, quando nempe in hac vita vel toleratur pœna debita Deo in vindictam peccati, vel loco pœnæ alioqui subeundæ in vindictam, aliquid redditur Deo: & siquidem sit redditio boni in æstimatione moralis æquivalentis, dicitur satisfactio condigna: **E** contra est congrua tantum, si non habeat omnimodam proportionem, attamen ex quadam convenientia censeatur esse admittenda à Deo offenso.

1304. §. 3. Opus in quantum satisfactorium debet esse pœnale, quia æquitas exigit, ut culpa, quæ fuit appetitus boni delectabilis indebiti, compensetur per subtractionem boni delectabilis, ergo per pœnam: ita *S. Th. S. Bonav.* alii- que communiter cum *Suar.* tom. 4. in 3. p. d. 37. f. 6. contra *Victor. Sot.* & alios.

1305. §. 4. Sicuti vis meritoria præcipuè respondet libertati, honestati & intensiori operis, ita vis satisfactoria pœnositati, hinc tenet communis sententia cum *Suar.* f. 5. n. 3. quamvis actus externus non augeat vim meritoriam actus interni, attamen augere vim satisfactoriam, quia hæc consistit in pœna voluntariè assumpta, sed in actu externo est distincta pœna voluntariè assumpta, ergo.

1306. §. 5. Omne opus meritorium etiam est satisfactorium, quia est actus virtutis, quæ difficilis est, & procedit à voluntate sustinendi difficultatem & pœnam illam propter Deum, *Suar.* f. 6. n. 8. Et ideo actus virtutum Theologicarum sunt multum satisfactorii, quia sunt in se meliores & difficiliore, ac maximè actus chari-  
tatis

tatis, qui quasi virtute continet aliarum virtutum laborem, *Suar.* n. 9.

§. 6. Ad satisfaciendum requiritur ex parte operantis, imprimis status viæ : deinde status gratiæ: hinc *S. Th. Sot. Fagund. Suar.* f. 2. n. 3. *Rayn.* in *Heter.* tom. 15. p. 2. f. 3. pu. 2. & 9. q. 1. probabilius docent contra *Scot. Maj. Gabr. Rubion.* & alios, hominem in mortali constitutum non posse satisfacere nequidem de congruo pro reatu alicujus peccati sui vel alieni quoad culpam remissi, nam *Trid. sess. 14. De pœn. c. 8.* vim satisfaciendi per opera propria fundat in unione cum Christo, in quo, inquit, vivimus, in quo meremur, in quo satisfacimus, ergo sicuti non meremur, nisi in gratia uniti Christo, ita nec satisfacimus. Potest tamen peccator aliquid impetrare de congruo, quia pro impetratione, quæ non fundatur in dignitate orantis, habemus benignam promissionem Dei, non item pro satisfactione: hinc dicendum est opera in mortali facta postea non reviviscere ad satisfactionem, cum ab initio fuerint mortua: Excepto opere injuncto pro satisfactione sacramentali, secundum dicta n. 1244.

1307

§. 7. Ad satisfactionem condignam ex parte operis requiritur, ut sit voluntarium, liberum, moraliter bonum, positum ex aliqua saltem intentione satisfaciendi, pœnosum seu afflictivum, item supernaturale, *Suar.* f. 3. Non obest autem, quod opus tale sit præceptum, quia præceptum non impedit libertatem, bonitatem aut pœnalitatem, *Suar.* f. 4. Imò *Trid.* f. 14. De pœn. c. 9. docet etiam flagellis à Deo inflictis, si patienter tolerantur, satisfieri, non tantum ratione liberæ acceptationis in-

1308

B b b 3

ternæ,

ternæ, sed etiam ratione externæ passionis adjunctæ, quam acceptando facit, sibi voluntariam, uti pluribus explicat *Suar.* l. 7. idem dicens de malis & adversis quibuscunque aliunde advenientibus.

1309 §. 8. Ad satisfactionem nostram ex parte Dei requiritur promissio de acceptando opere in finem satisfactionis, nam pœnæ hujus vitæ non sunt æquales vel proportionatæ pœnis Purgatorii, quas meriti sumus; & omnia opera nostra poterant à Deo ex aliis titulis exigì, *Suar.* l. 8.

1310 §. 9. *Caj. Dur. Nav. Præpos. Cón.* putant aliquem posse sibi vel etiam animabus impetrare remissionem pœnæ præcisè orando, & præscindendo à satisfactione vel solutione pro pœna debita, sicuti homo ab homine potest tantùm deprecando obtinere remissionem pœnæ sibi vel alteri debitæ: Et ita etiam non videtur dubitandum, quin Beati, qui satisfactiones non ponunt, possint pro nobis vel pro animabus impetrare remissionem pœnæ. Oppositum tenent *Gabr. Suar.* & alii cum *Rayn.* pu. 8. q. 3. tum quia est secundùm justitiæ divinæ leges, ut omne delictum puniatur, tum etiam quia non esset pro honore satisfactionum Christi, si Deus illis non respectis gratuito remitteret hominibus pœnas: hinc videtur dicendum, quòd quandocunque Deus propter orationem aliquam remittit alicui pœnas, semper respiciat Christi satisfactiones, per quas censeatur præstita solutio pro tali pœna.

1311 §. 10. Non est obligatio, saltem gravis, in hac vita delendi pœnas suis peccatis debitas, nam secundùm dicta l. 2. n. 179. & dicenda hic num. 1336. opera satisfactoria laudabiliter transcri-

transcribo Defunctis, & reus non tenetur sibi  
 pœnas infligere sed tantum pati sibi decretas à  
 Iudice, *Suar. d. 15. l. 7. Arr. d. 18. f. 5. & alii*  
 contra *Palud. & Canum. Dixi*, saltem gravis, nam  
 planè omnes satisfactiones suas transcribere al-  
 teri sine spe imminuendi pœnas sui Purgatorii  
 videtur esse contra ordinem charitatis, quâ te-  
 neor me saltem non postponere proximo, sed  
 æquè desiderare accelerationem meæ beatitudi-  
 nis quàm illius: unde videtur esse defectus cha-  
 ritatis erga seipsum, imò & erga Deum, si quis  
 hic ita negligat omnes satisfactiones, & velit in  
 Purgatorio sustinere pœnas gravissimas ac lon-  
 gè diuturniores, seque per hoc retardare à vi-  
 sione, amore & laude Dei in cœlo, sic enim non  
 videtur satis æstimare æterna & incomprehen-  
 sibilia Dei bona. Notatque etiam *Rayn. p. 1. f.*  
*1. pu. 5. à n. 16.* satisfactiones in hac vita discre-  
 tè quidem esse assumendas, attamen non negli-  
 gendas, etiam ideo, quia opus satisfactorium  
 longè plùs prodest, si fiat me vivo quàm si me  
 mortuo, nam si vivus & in gratia constitutus  
 procurem fieri, fructus satisfactorius conjun-  
 gitur cum merito, quo etiam impetrare possum  
 pœnæ remissionem: & hìc valet istud:

*Da tua, cum tua sunt; post mortem tunc tua non  
 sunt.*

*Gerson. Gabr. Rayn. p. 1. l. 3. pu. 3. à n. 35.* Hinc ali-  
 qui, quos refert num. 37. putarunt Missam unam  
 procuratam à vivo plùs prodesse quàm centum  
 celebrandas post mortem: denarium jam plùs,  
 quàm tum mille ducatos: unam lachrymam jam  
 plùs, quàm tum decem annos in Purgatorio &c.

Q. 179. *Quid notandum sit circa remissionem*  
*pœnarum in altera vita sive in Purgatorio. R. Hoc* 1312

unicum, quòd remissio illa non habeat rationem satisfactionis, cum animæ illæ non sint amplius in statu viæ, sed habeat rationem satisfationis, quæ definitur, quòd sit perpeffio mali, per quam quis censetur tam multum se subicere potestati offensi, quàm multum contra dignitatem illius se erexerat: potestque esse etiam involuntaria, ut patet in fure, qui invitus subit mortem, & respectu potestatis civilis satisfatur. Quamvis autem satisfaciendo in hac vita re ipsa patiamur, cum secundum dicta n. 1304. de ratione satisfactionis sit perpeffio alicujus pœnæ, tamen quia pœna hujus vitæ est diversæ rationis à pœna Purgatorii, & præcipua vis perpeffionum, quas hic assumimus, habetur à voluntaria illius acceptatione, non solet vocari satisfatio sed satisfactio. De pœnis autem, per quas animæ satisfaciuntur in Purgatorio, videri potest *Dicast.* tr. 9. d. 1. & fufius *Hautinus* in Patrocinio Defunctorum. Quomodo verò animæ purganti applicetur fructus Sacrificii Missæ, dictum est n. 518. Et de aliis applicationibus pro ipsis dicitur à n. 1317. 1332. 1336.

**1313** Q. 180. *Quomodo Indulgentia dividatur ratione subiecti.* R. In localem, realem & personalem. Localis est, quæ alicui loco, templo, altari conceditur. Realis, quæ grano, numismati, Rosario &c. applicatur. Personalis, quæ conceditur alicui personæ, ut eam lucretur, ubicunque fuerit, vel in articulo mortis, vel quoties tale aut tale opus peregerit.

**1314** Q. 181. *An, quomodo, & à quo concedi possit Indulgentia.* R. §. 1. De fide est, in Ecclesia esse potestatem dispensandi thesaurum meritorum Christi.

Christi & Sanctorum per Indulgentias, ita ut  
 vi earum immediatè liberemur ex opere ope-  
 rato à reatu pœnæ temporalis sine propria sa-  
 tisfactione, hæc enim est *communio Sanctorum*,  
 de qua symbolum Apostolorum, & ita docet  
*Trid. sess. 25. c. 21. De Refor. in Decreto De In-*  
*dulg.* Nititur autem hæc catholica veritas etiam  
 traditione, quam ostendunt Decreta Concilio-  
 rum & Pontificum, testimonia Patrum, praxis  
 antiquorum temporum, de quibus latè *Suar. d.*  
*49. l. 1. & seqq. Bellarm. tom. 3. l. 1. De Indulg.*  
*c. 3. & seqq.* Et satis evincitur ex Scriptura, nam  
 Christus *Matt. 16.* promisit Petro, & in Petro  
 ejus successoribus potestatem ligandi & solven-  
 di, sine ulla restrictione, ergo etiam potestatem  
 remittendi reatum pœnæ. Item commisit cla-  
 ves regni cœlorum, ergo potestatem removen-  
 di omnia, quæ aditum ad cœlum impediunt,  
 inter quæ est reatus pœnæ. Denique cum in Ec-  
 clesia sit thesaurus satisfactionum Christi & San-  
 ctorum, qui eis non indigent, ne inutilis sit, de-  
 bet posse applicari per Indulgentias. Neque  
 sufficientiæ meritorum vel plenæ redemptioni  
 Christi derogat, quòd Sanctorum merita con-  
 currant, sed potius istorum vim commendat,  
 omnem enim vim suam habent ex meritis  
 Christi, quibus adduntur, non ex necessitate  
 vel insufficientia, sed ad honorem Sanctorum,  
 & concurrunt ad deletionem solius pœnæ tem-  
 poralis, non autem culpæ vel pœnæ æternæ, in  
 quo præcipuè opus Redemptionis consistit.

§ 2. Concessio Indulgentiarum respectu <sup>1315</sup>  
 vivorum est partim solutio, quia offertur pre-  
 tium meritorum Christi; partim absolutio,  
 quia hoc ipso, quòd Ecclesia nomine Dei acce-



pret solutionem, homo à pœna absolvitur. E  
 contra respectu Defunctorum est mera solutio,  
 quam Deus acceptat ; quæ quidem solutio fit  
 cum potestate jurisdictionis in thesaurum Ec-  
 clesiæ, sed non in personam , cui applicatur ,  
 cum Ecclesia tantum in vivos jurisdictionem  
 habeat. Videri potest *Viva De Jubil.* q. 5. a. 3.  
 item *Rayn.* in *Heter.* tom. 15. p. 2. s. 3. pu. 5. q.  
 1. ubi pluribus explicant, quid sit Indulgentias  
 applicari per modum solutionis vel absolutio-  
 nis. Et de hoc etiam fusè disputat *Amic.* tom. 8.  
 d. 20. à nu. 164. & *Bellarmin.* lib. 1. de Indulgen-  
 tiis. c. 14.

1316 §. 3. Ut Indulgentiæ licitè & validè conce-  
 dantur, debet præter remissionem pœnæ adesse  
 aliud motivum justum & proportionatum,  
 uti colligitur ex *Extrav. Clem. VI. Unigenitus. De*  
*Pœn. & Remiss.* & habet sententia communis  
 contra *Pasq.* Putatque generatim *Castrop.* tr. 24.  
 p. 7. n. 8. ad justitiam causæ requiri, ut hæc con-  
 cessio credatur cessura in majorem Dei gloriam  
 & honorem, quàm cederet aliàs stricta & rigo-  
 rosa satisfactio vel satisfactio. Quòd si tamen  
 causa sit aliqua sed non plenè sufficiens, proba-  
 biliter tenent multi cum *Castrop.* n. 7. manere  
 secundum partem , cum enim effectus Indul-  
 gentiæ sit divisibilis, manere potest quoad par-  
 tes causæ respondententes , uti valet quandoque  
 quoad alia, quæ ex occasione Indulgentiæ con-  
 ceduntur , v. g. quòd pœnitens possit eligere  
 Confessarium , quem volet, absolvi à reserva-  
 tis, quia cum hæ facultates pendeant à jure hu-  
 mano & voluntate Papæ, valent, etiamsi In-  
 dulgentiæ sine causa concedantur, *Suar. Laym.*  
*Castrop.* n. 6. Quod si concedens falsò putaret  
 cau-

causam esse sufficientem, & non erret temerè, sed ex prudente motivo, *Suar. Lug. Viva a. ult.* probabiliter dicunt valere, quia quando œconomus prudenter dispensat rem Domini, hic rati habet.

§. 4. Solus Papa habet ordinariam & universalem potestatem concedendi quibusvis fidelibus etiam Defunctis quaslibet Indulgentias, quia ad summum Ecclesiæ Principem pertinet distributio thesaurorum: unde Conc. generale sine Papa, sive hic vivat sive sit mortuus, non habet talem potestatem, *Suar. Laym. Bellarm. l. I. c. II. contra Cordub. Henriq. Nav.* Et quamvis Papa communiter concedat Indulgentias Defunctis medio aliquo vivente, qui per opus aliquod illis applicet, sicque fieri debere putent *Nav. Suar. Fill.*, tamen probabiliter docet *Rayn. n. 3.* id non requiri, sed Papam posse immediate per se ipsum eas Defuncto elargiri. Potestque etiam Papa ipse ut membrum Ecclesiæ participare Indulgentias à se ut Capite Ecclesiæ concessas, *Amic. l. 2.* imò & directè exercendo jurisdictionem gratiosam circa seipsum, *Viva a. 4.*

1317

§. 5. Quamvis Papa habeat maximam potestatem circa Indulgentias etiam Defunctis applicandas, tamen non potest tot & tantas concedere, ut totum Purgatorium evacuet, quia non potest esse rationabilis causa tantæ concessionis, nam non sufficit major Dei gloria ex tali liberatione secutura, Christus enim, qui maximè vult Dei gloriam, nihilominus etiam vult semper aliquas animas esse in Purgatorio: unde falsum est, quòd in Resurrectione sua Purgatorium evacuârit, *Rayn. à n. 13.*

1318

§. 6. Episcopi habent limitatam potestatem

1319

conce-

concedendi Indulgentias, ordinariam quidem, id est, ex vi proprii muneris & à jure communi annexam suo officio, attamen delegatam à Papa, uti habet communior cum *Suar. Mol. Bellarm. supra, Barbosa de pot. Episc. all. 88. Rayn. n. 16. contra Cordub. Sot. Nav. Medin. Valent. Et in Dedicacione quidem Ecclesiæ potest Episcopus dare Indulgentias unius tantum anni, in anniversariis verò Dedicacionis & aliis etiam casibus 40. tantum dierum, etiam in perpetuum, id est, recurrentes omni anno, Less. in Auct. V. Indulgentia. casu 1.*

1320 §. 7. Episcopus potest Indulgentias concedere pro suis tantum subditis, licet extra Diocesim existentibus, & tantum per modum absolutionis, adeoque solis vivis. Possuntque Episcopi hanc potestatem, cum sit ordinaria, alteri delegare, *Lugo, Viva a. 5.* Non tamen hoc ipso, quod Vicariis suis generalibus concedant omnem potestatem, censentur hanc concedere, sed debent id specialiter expressisse, uti habet communis cum *Leur. in Vicario, q. 139.*, quia est facultas meræ gratiæ & per se reservata dignitati. Ac propterea nec Sede vacante Capitulo convenit, uti habet communior apud *Leur. q. 482.* Quod si Episcopus ampliorem fortè Indulgentiam concederet, quàm ei permissum est, probabilius est concessionem fore irritam solum quoad excessum, quia *utile non debet per inutile vitiari, Reg. 37. Juris in 6.*

1321 §. 8. Quod dictum est de Episcopis, valet etiam de Archi-Episcopis respectu totius Archidiocesis, cujus subditis, etiam extra tempus visitationis, potest simili modo concedere Indulgentias, *Barbosa supra. Putatque Henriq. ex Less.*

Less. supra, Archi-Episcopo deberi potestatem altero tanto majorem, adeoque ubi Episcopus potest 40., Archi-Episcopum posse 80. dierum concedere. Cardinales, etiam non Episcopi, possunt 100. dierum in ecclesiis suorum titulorum, quia in his habent episcopalem jurisdictionem, Cap. *Is qui*, De majoratu & obed.

§. 9. Nuncius Apostolicus potest subditis 1322. suæ Nunciaturæ pro quocunque pio opere concedere 100. aut plurium dierum Indulgentias, attamen semper minus quam annum. Pro templo vel capella potest dare 7. annorum & 7. quadragenarum, id est, septies 40. dierum, pro illis, qui confessi communicarint & in eo loco de more orarint ad intentionem Ecclesiæ. Quod si concedat in duobus festis anni pro eodem loco, durabunt tantum ad triennium: si in uno festo, ad septennium tantum, sicque expirabunt, nisi prorogentur, uti habetur n. 20. in facultatibus Nunciaturæ Coloniensis 1. Oct. 1680. ab *Inn. XI.* concessis.

§. 10. Prælati Episcopo inferiores, quamvis in cæteris habeant potestatem quasi episcopalem, non possunt jure ordinario concedere Indulgentias, cum id nullibi concedatur: Multo minus Parochi vel Confessarii, *Bellarmin.* & *Barbos.* supra contra *Host Ang.* & alios. Cum tamen concessio Indulgentiarum non sit actus Ordinis sed jurisdictionis, Papa vel Episcopus, etiam si necdum Sacerdos, posset & Indulgentias concedere & concessionem delegare cuivis simplici Clerico, uti cum communi *Leur. q. 139.* & *Viva a. 4.*

Q. 182. *Qualis intentio requiratur ad lucrandas Indulgentias.* & §. 1. Si concedens requirat opus

opus cum certa intentione, hæc expressè fieri debet, quia *concessio sub certa forma vel conditione, corrui, si conditio deficiat*, L. Medius ff. De Condit. Et ut actus valeant, conditiones implendæ sunt in forma specifica, nempe quoad expressa in specie: hinc etiam communiter dicitur, quòd in talibus non detur commutatio, sed debeat, per se loquendo, fieri quod expressum est: ideoque dicit *Bellegambe* in *Enchiridio De Jubilæo* p. 1. s. 2. q. 2. prærequiri cognitionem formalem intentionis illius, quam concedens habuit: Addit q. 4. intentionem illam reddi dubiam, si alia intentio admisceatur, quia quòd opus pluribus finibus destinatur, eò, minùs prodest singulis. His non obstantibus docent *Pasq. Sanctar. Boss. Viva* q. 8. a. 5. estque communis persuasio etiam apud Confessarios, si intentio orandi facienda sit pro certis necessitatibus in Bulla expressis, satis esse, si quis intendat orare ad intentionem Ecclesiæ.

1325. §. 2. Si concessa sit Indulgentia facienti opus secundùm se, probabiliter docent *Mol. Pellic. Leand. Portel, Laym. Viva, Lugo, Gob. Busenb. Diana* p. 10. t. 17. R. I. eum etiam ignorantem lucrari, qui opus ponit, uti præscriptum est, possunt enim Indulgentiæ applicari & prodesse ignorantibus, uti dicitur n. 1328. Et quisque habet intentionem saltem habitualement aut interpretativam obtinendi quidquid potest per omnia sua opera: Pro majori tamen securitate expedit manè expressè intentionem formare obtinendi per opera istius diei, quidquid per illa obtineri potest.

1326. §. 3. Si quis pro alio velit lucrari Indulgentiam, requiritur intentio lucrandi determinatè pro

pro illo: sufficit tamen intentio habitualis, id est, semel habita & non revocata, ad eum modum, quo à n. 205. dictum est de applicatione Missæ.

Q. 183. *Quid præterea notandum sit circa applicationem satisfactionum vel indulgentiarum pro alio.* R. seqq. §. 1. 1327.

Quamvis fructus meriti non sit applicabilis alteri, cum nemo per alium mereatur, sed meritum sit ad gratiam & gloriam operantis; tamen fructus satisfactionis est alteri applicabilis, ut patet in Christo, qui pro nobis satisfecit: Hinc potest vivens etiam viventi transcribere satisfactiones suas: Estque probabilius, si adsint conditiones requisitæ, Deum semper acceptare ex promissione & quadam justitia, obligavit enim se ad hoc, ut charitas amplificaretur & omnes per ipsum essemus unum, *Lugo d. 26. s. 1. Arr. d. 23. s. 1. Rayn. tom. 15. p. 2. s. 3. pu. 6. n. 12.* Conditiones autem ex parte applicantis sunt, ut dum ponit opus, adsint enumerata n. 1307. item intentio, ut profit alteri. Ex parte autem illius, cui applicatur, requiritur remissio culpæ & status gratiæ, *Lugo s. 2. & 3. Arr. s. 4. & 5.*

§. 2. Applicatio satisfactionis fieri potest 1328. absentis, ignorantis, non petentis, *Diana p. 5. t. 3. R.*

134. *Lohn.* & alii: probabiliter etiam positivè nolenti, quia quamvis invito ordinariè non fiat beneficium, attamen fieri potest, uti absolutio à censura &c. oppositum tamen ex dictis n. 58. videtur probabilius. Indulgentiæ nulli etiam defuncto applicari possunt, nisi Papa expressè concedat, uti colligetur ex dicendis num. 1348. docetque cum communi *Rayn. n. 3.* Alteri autem

autem

autem vivo applicari non posse, habet communis cum *Lugo* à n. 11. nisi Papa interveniat.

1329. §. 3. Quando Papa concedit, ut quis possit lucrari Indulgentiam pro alio vivo, *S. Th.* & alii cum *Rayn.* l. 2. pu. 2. n. 7. rectè dicunt primum reipsa non lucrari, sed tantum ponere opus, quo supposito Papa ipse applicet Indulgentias secundo. Indulgentiam verò, quam quis applicat alteri seu vivo seu Defuncto, non potest eodem die pro se lucrari, uti dicitur n. 1366. Et quamvis actus satisfactorius, qui alteri applicatur, non maneat applicanti, tamen actus, quo applicat, non tantum est meritorius sed etiam satisfactorius, & hic manet applicanti, *Rayn.* l. 3. pu. 6. n. 5.

1330. §. 4. Si ille, pro quo fructus satisfactionis offertur, sit illius incapax vel non indigeat, *Suar.* dicit reponi in communem thesaurum Ecclesiæ. *Gabr.* & alii communiùs putant prodesse facienti tale opus: *Palud.* dicit prodesse facienti opus, si applicaverat alicui vivo; si autem Defuncto, putat prodesse alteri Defuncto: Sed *S. Th. Pasq.* q. 86. & alii cum *Rayn.* p. 1. n. 32. dicunt statim à Deo concedi alicui sive vivo sive Defuncto secundum interpretativam voluntatem facientis opus.

1331. §. 5. Sancti, qui in cœlo sunt, non possunt satisfactione sibi residuas applicare alicui, nam repositæ sunt in Ecclesiæ militantis thesauro, cujus clavem habet solus Papa. *Rayn.* pu. 6. n. 16.

1332. §. 6. *Nav.* putavit eum, qui indiget satisfactione pro se, invalidè applicare alteri, sed communiter contradicunt omnes. Esset tamen contra charitatem propriam secundum *Rayn.* n. 10. si quis multo reatu onustus morti proximus alte-

alteri applicaret omnes satisfactiones suas, nisi adverteret se facere per actum, qui merito & dignitate suâ damnum illud compensaret, nam ex charitate transferens auget suam gratiam, qui est fructus æternus longè pretiosior. An autem aliquis prudenter applicet, v. g. animabus satisfactiones omnium suorum operum, dicitur n. 1336.

§. 7. *Rayn. f. 2. pu. 2.* rectè dicit nihil prod- 1333  
esse, si quis opera satisfactoria, quæ anteceden-  
ter fecit, velit postea transcribere animabus vel  
alicui alteri, nam satisfactiones tales non man-  
serunt suspensæ, sed vel statim applicatæ sunt,  
vel repositæ in thesauro Ecclesiæ, secundùm di-  
cta n. 1330., nulli autem præterquam Papæ  
competit dispensatio thesauri Ecclesiæ.

§. 8. Si quis nunc vivens applicet animabus 1334  
omnia sacrificia & preces pro se defuncto fun-  
dendas, *Rayn. supra* rectè dicit hoc etiam invali-  
dè fieri, quia applicatio operis non est in pote-  
state illius, pro quo offertur, sed pendet ab in-  
tentione operantis, operans autem, qui suo tem-  
pore offeret pro me, non offeret ad hanc meam  
intentionem, sed offeret, ut profit mihi, ideoque  
si tum mihi prodesse poterit, proderit; si autem  
prodesse non poterit, & operans non substituat  
aliam intentionem, fiet, quod n. 1330. dictum  
est.

§. 9. Si subditus applicet satisfactiones suas 1335  
contra applicationem Superioris, poterit pec-  
care contra obedientiam, sed prævalebit sub-  
diti applicatio, ut à pari dictum est de Missa n.  
214. docetque cum *Dur. Suar. & aliis Rayn. f. 3.*  
*pu. 6. n. 18.* actio enim talis cum omni suo fru-  
ctu subest immediatè soli dominio operantis,  
cujus



cujus intentionem non potest supplere, aut mutare Superior.

1336 Q. 184. Quid specialiter adhuc notandum sit circa satisfactiones vel Indulgentias pro defunctis. *q. seqq. §. 1. Rayn. in Heter. tom. 15. p. 2. f. 1. pu. 1. & seqq. iterumque pu. 10. rectè ex Scrip. PP. & sensu universalls Ecclesiæ ostendit contra aliquos, quorum argumenta solvit pu. 11. , quòd omnino pium sit, nec divinæ justitiæ aut perfectioni contrarium, si satisfactiones à nobis offerantur pro defunctis. Quòd autem animæ etiam suffragia nostra postulent, demonstrat per historias & exempla pu. 7. Præterea pu. 12. contendit esse obligationem saltem charitatis, ut animæ purgantes per aliqua opera vel suffragia adjuventur. Attamen s. 2. pu. 2. docet cum *Arr. fore prodigalitem venialiter malam contra charitatem propriam, si quis vim satisfactoriam operum totius seculuræ vitæ suæ transcriberet animabus, quod etiam insinuavi n. 1311. E contra tamen multi cum *Hautino hoc laudant, dicuntque esse magis meritorium & utilius, ut notavi l. 2. n. 179.***

1337 §. 2. Motivum juvandi defunctos inter cætera est, quia vicissim possunt nobis prodesse: Imò posse utiliter peti preces animarum prout in Purgatorio existentium, docent *Rich. Gabr. Med. Bassol. Serar. Bonac. Mendoz & in eandem sententiam inclinat Suar.*, quia quamvis sint in carcere sub pœna, tamen sunt tanquam amici & filii, qui pro aliis impetrare possint. Contradicunt quidem *S. Th. Alens. Nav. Bellarm. Victor. Az. Valent, Less. Thyraus, Regin. Castrop.*, quia putant animas non scire se rogari à nobis, sed rectè dicit *Rayn. l. 3. pu. 1, n. 23. dubitari non posse,*

posse, quin preces ad se directas cognoscant saltem per revelationem Angelorum, id enim pertinet ad communicationem, quæ adhuc est inter illas suffragiis nostris indigentes & nos: Et ita se per eas multa obtinuisse testatur *S. Catharina Bononiensis*. Hinc *Rayn.* pu. 8. q. 2. concludit, per se loquendo, melius esse & utilius orare ac consequenter offerre satisfactiones pro defunctis, qui Deo amiciores sunt & se juvare non possunt, quàm pro vivis. Causa autem, cur Ecclesia diebus Lunæ velit specialiter orari pro defunctis, est, quia vult statim post Dominicam succurri illis miseris, *Rayn.* pu. 4. q. 10.

§. 3. *Caj.* & alii putarunt non omnes animas 1338  
posse juvari nostris suffragiis, sed eas tantum, quæ in vita hoc ipsum promeritæ sunt, ut juvari possent: sed contra hoc videri possunt dicta n. 59.

§. 4. *Præpositus* putavit per suffragia oblata 1339  
pro una determinatè anima, non plus juvari istam, quàm omnes alias, imò melius dispositas plus esse juvandas, sicuti fax accensa pro uno existente in obscuro loco æqualiter lucet omnibus, & illis magis, qui propiores sunt vel meliorem habent visum: Sed rectè contradicunt *S. Th. Bellarm.* alique communiter cum *Rayn.* n. 20. quia applicatio fit secundùm liberam intentionem operantis, & Papæ leguntur concessisse applicationem pro certis animabus.

§. 5. Subsidia necdum exhibita, etiamsi 1340  
certò sint exhibenda, nunc non profunt animabus, uti habet communis cum *Rayn.* pu. 3. n. 43. quia etiamsi Deus prævideat aliquid faciendum, non ideo, antequam præstetur, rependit

præmium, nisi accedat specialis misericordia ; qualis fuit, quòd ob prævisa Christi merita dederit gratias Adamo & antiquis PP. pro hoc enim dicendo habemus speciale fundamentum in Scriptura & PP., quia redemptio erat tribuenda Christo.

1341

§. 6. Per se loquendo utilius est animabus, si statim magna vis subsidiorum illis procuretur, nam tantùm profunt, si sint actu exhibita. Per accidens tamen potest esse laudabilius, v. g. fundare perpetuam Missam, quia potest hoc esse magis ad Dei gloriam, ut populus certo die & loco Missam habeat &c. *Rayn.* à n. 47.

1342

§. 7. Missam esse præcipuum opus satisfactorium pro defunctis, docent SS. PP. S. Th. & Theologi communissimè cum *Rayn.* l. 3. pu. 3. q. 2 quia nempe est repræsentatio & nova exhibitio Sacrificii à Christo oblato in Cruce, cui Christus ideo voluit inesse maximam vim satisfactivam. Post Missam sunt Indulgentiæ, quibus & Christi & Sanctorum satisfactiones animabus applicantur ex opere operato. Sequuntur ex genere suo & per se opera pœnalia. Post hæc, est eleëmofyna: Denique oratio, cujus præcipuus fructus est impetratio. Notat tamen *Rayn.* cum *Soto* posse per accidens fieri, ut eleëmofyna in certis casibus ratione charitatis adjunctæ vel magnæ indigentæ pauperis sit gratior Deo, adeoque utilior defunctis quàm multri Missæ. Quantum defunctis prodesse possint cilicia, flagellationes, jejunia, vigiliæ, peregrinationes, afflictiones causatæ nobis aliunde, susè & doctè profequitur *Rayn.* pu. 6. q. 6. & seqq. speciatim autem de eleëmofyna agit pu. 7. De oratione pu. 8.

§. 89.

§ 8. Orationes publicæ, id est, quæ fiunt à personis ad id deputatis ab Ecclesia, prout fiunt nomine Ecclesiæ, non sunt satisfactoriæ, quia satisfactio respicit pœnalitatem operantis; hinc ut tales tantùm sunt impetratoriæ, etiam respectu remissionis pœnæ defunctorum, & quidem tantò magis, quantò Ecclesia tota est gravior Deo quàm privatus, cujus etiam improbitas non impedit vim impetratoriam Ecclesiæ. *Rayn. l. 3. pu. 11. q. 3.*

1343.

§ 9. Communio de se non prodest defunctis, nisi quantùm actus adjuncti, sunt ex opere operantis impetratorii vel satisfactorii, uti fusè demonstrat *Rayn. tom. 6. opusc. 6. De Communionis pro mortuis.* Et idem est, si confessio vel Communio offeratur pro alio vivo, tam parum enim potest huic prodesse, quàm si quis pro alio velit suscipere Baptismum vel Matrimonium. *Nec obstat, quòd I. ad Corinth. 15. v. 29. dicantur aliqui baptizari pro mortuis, nam sensus est, quòd pro mortuis se affligant vel patiantur, uti ostendit Rayn. tom. 15. p. 2. f. 2. pu. 11. & iterum l. 3. pu. 6. n. 1., in quo etiam sensu Christus Marci 10. & Luca 12. passionem suam vocat baptismum.*

1344.

§ 10. Restitutio eorum, quæ defunctus abtulerat, aut expletio votorum, quæ neglexerat, quamvis per accidens possint prodesse ratione piorum actuum, quos hæredes nunc eliciunt pro defuncto, tamen de se nihil operantur ad liberationem animæ, *S. Th. Nav. Sot. Bellarm. Suar. Mol. Valent. Rayn. l. 2. pu. 3. contra paucos.* Ratio est, quia si defunctus ante mortem fecit, quod potuit, non ideo diutiùs patietur; si id neglexit, patietur, quantùm pro-

1345.

merita est ipsius negligentia : hæredum autem negligentia non est culpa ad eum pertinens , cum ipse illius causa per se non fuerit. Idem est dicendum de ablatione scandali, quod defunctus posuerat, dum viveret, *Rayn. pu. 6.*

¶ 346. §. 11. Campanarum pulsus non iuvat defunctos nisi indirectè, quatenus movet audientes ad bene precandum defuncto, *Rayn. pu. 7.* Consepelire defunctis res pretiosas nullum etiam illis adfert subsidium : consepelire autem Eucharistiam est nunc præter Ecclesiæ consuetudinem, *Rayn. pu. 10.* Imò videtur illicitum propter irreverentiam.

¶ 347. §. 12. Ufus cereorum ardentium prodest defunctis, in quantum amici nomine defuncti protestantur se confiteri Christum esse verum lumen, & ex ejus meritis sperare misericordiam, *Rayn. s. 3. pu. 11. q. 8.* Sepultura in loco sacro eis prodest, partim quia fideles illic convenientes excitantur ad orandum pro defunctis, partim quia preces publicæ Ecclesiæ, quæ in tali loco funduntur, extenduntur etiam ad ibi sepultos, *Rayn. p. 12. q. 3.* Aspersio aquæ benedictæ prodest propter preces Ecclesiæ, nam benedicens petit prodesse etiam ad condonationem pœnarum, *Rayn. q. 5.* Incensatione thuris orat Ecclesia, ut anima pascatur odore cœlesti &c.

¶ 348. §. 13. Solus Papa potest defunctis applicare Indulgentias, uti habet communis cum *Diatt. p. 10. tr. 6. R. 12. contra Gob.*, quia secundum dicta n. 1315. defunctis applicantur per modum solutionis, offerendo pretium ex thesauro Ecclesiæ, solus autem Papa habet claves thesauri Ecclesiæ, *Rayn. s. 3. pu. 5. n. 15.*

§. 14. Specialiter ad indulgentias pro de- 1349.  
functis requiritur motivum extrinsecum di-  
stinctum ab ipsa poenæ remissione, & quantitati  
indulgentiæ proportionatum, fit enim pro non  
subdito per modum solutionis ex thesauro Ec-  
clesiæ, cujus usus non debet esse profusio sed  
prudens dispensatio, *Rayn.* n. 19.

§. 15. Multi negant, multi affirmant appli- 1350.  
cationem indulgentiarum factam pro defuncto  
habere infallibilem effectum, utriusque probabi-  
liter, uti colligi potest ex dictis n. 524. Et pro  
affirmantibus stat etiam *Rayn.* l. 3. pu. 1. à n. 17.  
pu. 5. à n. 9. pu. 6. n. 12. pro negantibus *Ami-  
cus* tom. 8. d. 20. à n. 175. Rectè autem præ-  
sumunt *Henriq. Laym.* & alii, si Deus pro ar-  
bitrio absque promissione acceptet indulgen-  
tias pro defunctis, longè faciliùs eas acceptare  
pro illis animabus, quæ in hac vita magis stu-  
duerunt satisfacere, non tantùm pro se sed ma-  
ximè pro defunctis.

§. 16. Quamvis n. 1307. dixerim ad satis- 1351.  
faciendum pro se vel alio ex opere operantis,  
requiri in operante statum gratiæ, tamen *Rayn.*  
pu. 5. n. 23. *Dian.* suprà R. 13. aliique multi apud  
*Busenb.* & cum *Amico* n. 203. putant eum, qui  
non est in gratia, lucrari posse indulgentiam  
pro defuncto, si ponat substantiam operum,  
quia indulgentia ex opere operato acquiritur  
defuncto, qui est dispositus.

§. 17. Etiam Beati in cœlo possunt juvare 1352.  
animas, non quidem ex suis satisfactionibus  
superfluis applicando aliquid, uti dictum est n.  
1331. sed vel directè impetrando pro illis re-  
missionem propter satisfactiones Christi, uti  
habent *Bellarmin.* *Côn.* *Rayn.* l. 3. pu. 2. q. 2. vel

etiam indirectè, procurando, ut viventes pro eis offerant satisfationes.

1353. Q. 185. *An preces Ecclesie & indulgentia possint prodesse catechumenis vel excommunicatis, saltem defunctis.* R. §. 1. Preces Ecclesie etiam publicas prodesse catechumenis, itemque Indulgentias posse applicari eis in gratia defunctis, docent cum aliis *Rayn.* in *Heter.* tom. 15. p. 2. l. 3. pu. 3. q. 3. & *Amicus* tom. 8. d. 20. n. 157. contra *Suar. Cón.* & alios cum *Viva De Jub.* q. 6. a. 1. & videtur sequi ex dictis n. 29., quia etiam Missa illis applicari potest. *Nec obstat*, quòd catechumeni nunquam pertinuerint ad Ecclesiam, nam licet Ecclesia non judicet nec puniat extraneos, attamen potest illis benefacere & præstare gratias, quarum capaces sunt.

1354. §. 2. Si excommunicatus adhuc vivens verè contritus sit, & per eum non stet, quominus restituatur Ecclesie, probabile est cum *Nav.* & *Sa.* lucrari posse Indulgentias per opera, quæ licitè exercet; si his annexæ sint, sic enim prudenter præsumimus de benigna voluntate Ecclesie: Oppositum tamen est probabilius ob rationem jam dandam.

1355. §. 3. Si excommunicatus sit in gratia mortuus, *Nav. Henriq. Fill.* putant posse ei prodesse Indulgentias, quia excommunicatio videtur tantùm excludere à favoribus pro statu vitæ, post mortem enim Ecclesia non habet jurisdictionem in animas. Oppositum tenent *Dicast.* tr. 9. d. 2. n. 147. & tr. 10. d. 2. n. 632. *Rayn.* n. 27. & alii, quia una ex pœnis excommunicationis est privatio communium suffragiorum. Neque ad hoc requiritur jurisdictio in animas, sed satis est facere, ut pro illis, quæ excommu-  
nicatæ

nicatæ sunt, non offerantur suffragia nomine Ecclesiæ, neque applicentur. De cætero rectè docet Rayn. s. 2. pu. 5. excommunicationem non impedire ingressum in cœlum, dummodo satisfactio vel satisfactio pro pœna sit exsoluta. Vide dicta à n. 31.

Q. 186. *Quid notandum sit circa Indulgentiam, quæ conceditur ingredientibus Religionem.* R. Putant quidem aliqui cum Rodriq., Indulgentiam plenariam, quæ dicitur obtineri per ingressum Religionis, posse obtineri per susceptionem habitûs aut per ingressum in Novitiatum, si fiat ex magno Dei amore & renunciatione mundi, sed quamvis hæc possint ex opere operantis factis esse ad remissionem pœnarum restantium, tamen Indulgentia ista plenaria videtur tantùm obtineri in professione vel emissionem votorum substantialium Religionis, sola enim hæc comparatur Baptismo, & Novitiatum est veluti status catechumenorum, uti cum aliis notat Less. in Auct. v. *Indulgentia. cas. 2.* Et Nav. Sanch. *Viva De Jubil. q. 4. a. 5.* putant Indulgentiam profitentium Religionem, prout dicit remissionem pœnæ peccatis debitæ, ex opere operantis posse esse plenariam. Aliam etiam Indulgentiam lucrantur Regulares induentes habitum religiosum, uti dicitur n. 1389.

Q. 187. *Quas indulgentias speciales habeat Societas JESU.* R. S. I. Accepi designationem impressam Romæ anno 1709. cum approbatione Magistri S. Palatii in hæc verba:

Indulgentiæ plenariæ in perpetuum concessæ omnibus & singulis utriusque sexûs Christianis fidelibus verè pœnitentibus & confessis ac sacramenta Communionis refectis, qui ecclesias Societatis



tatis JESU, ubicunque fuerint, in diebus & festis infra indicatis devotè visita verint, & inibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione & S. Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint:

1. In die Circumcisionis Domini, 1. Januarii concessit *Paulus III.* in Bulla 15. Kal. Nov. 1548. Confirmavit *Gregorius XIII.* in Bulla Nonis Maji 1578. Designatæ sunt ecclesiæ domus professæ, aut ubi hæc non est, præcipui Collegi.

2. In festo S. Ignatii 31. Julii concessit *Gregorius XV.* in Brevi 8. Junii 1622.

3. In festo S. Francisci Xaverii concessit in eodem Brevi pro die 2. Decembris: sed *Alex. VII.* in Brevi 18. Julii 1663. transtulit cum festo in 3. Decembris. Si festum incidat in Dominicam 1. Adventûs, officium & Missa cum indulgentiis transfertur in diem Lunæ proximè sequentem ex indulto *Inn. X.* 27. Octob. 1651. quod confirmavit *Clemens XI.* 24. Nov. 1702.

4. In festo S. Francisci Borgiae pro die 3. Oct. concessit *Clemens X.* in Brevi 3. Julii 1671. sed indulgentiam cum festo transtulit in 10. Oct. *Inn. XI.* in Brevi 28. Aug. 1683.

5. In die invocationis cujuscunque ecclesiæ Societatis, id est, tituli ecclesiæ, concessit *Paulus V.* in Brevi 16. Sept. 1611.

6. Pro docentibus, discipulis & promoventibus doctrinam christianam concessit *Greg. XV.* in Brevi 27. Sept. 1622. Et S. Congreg. 22. Nov. 1678. declaravit non esse revocatas per quoddam Decretum *Inn. XI.* 7. Martii 1678.

7. Pro omnibus & singulis Christi fidelibus tam Societatis aut cujuscunque alterius Ordinis & Congregationis regularibus, quàm aliis quibuslibet

buslibet ecclesiasticis & laicis, qui in domibus  
ejusdem Societatis exercitia spiritualia per octi-  
dum sparium peregerint, concessit *Alex. VII.* in  
Brevi 13. Oct. 1657.

§. 2. Præter ista dixit. 1. n. 861. & jam con- 1358.  
stat ex novo compendio v. *Indulgentia*. §. 10.  
post visitationes concedi singulis de Collegio  
plenarias indulgentias in prima Missa vel Com-  
munionem. Deinde solent Provinciales petere à  
Generali facultatem impertiendi nostris privi-  
legium liberandi animam à Purgatorio, in quo-  
cunque altari Missam legant, quod cuidam Pro-  
vinciali modernus Generalis 14. Febr. 1705.  
dedit his verbis, *Tribuo Reverentia vestra faculta-  
tem nostris impertiendi privilegium Fratrum Mi-  
nistrantium infirmis, pro applicanda moribundis in-  
dulgentia plenaria per imaginem crucifixi &c. ac  
liberandi animam à Purgatorio, quoties Missæ sacri-  
ficium ad eam intentionem applicaverint. Hoc pri-  
vilegium, si à Provinciali obtentum sit, adhuc  
viget. Plures adhuc indulgentias habent cum  
omnibus Regularibus, secundum dicenda nu.  
1389. Notatque *Viva* in Appendice ad tract.  
De Jubilæo, si in templis nostris ante Venera-  
bile recitemus sexies *Pater. Ave. Gloria Patri.*  
nos lucrari omnes indulgentias, quæ tali die  
sunt & Romæ & in illa urbe, ubi oramus.*

§. 3. Quod Missionarios attinet, declaravit 1359.  
*Urb. VIII.* in Bulla, *Salvatoris*. 5. Maji 1626. con-  
firmatâ ab *Alex. VII.* in Brevi *Dudum* 20. Sept.  
1656. quod Regulares in missione habeant eas-  
dem indulgentias, quas habent in partibus ca-  
tholicorum, sic enim habet *Alex. §. 17. Quoad  
publicationem indulgentiarum, poterunt Regulares  
& PP. Societatis illas publicare, quas Ordines & So-  
cietas*

cietas habet & hæcenus habuit ubique terrarum, vel in partibus Germania & Belgii in universum, edocto semel Vicario de facultatibus, neque Vicarius impediet vel interdicit. Et idem conceditur in eadem Bulla circa confraternitates §. 18. Quoad institutionem confraternitatum & sodalitatum, permittat Vicarius Regularibus & PP. Societatis illas, quæ à Sede Apostolica approbatæ & ab Ordinibus assignatæ sunt, ita tamen ut nemo adstringatur & teneatur ad particulares Confessarios vel ad Sacramenta ab illo Ordine solum percipienda. Hæc habet Verjays in Past. Mission. tr. 10. a. 1. & 2.

1360. §. 4. Quas Indulgentias habeant sodalitates B. Virginis Annunciatae in gymnasiis vel oratoriis nostris, videri potest apud Veron in Manuali sodalitates c. 1. p. 2, qui in fine dicti Manualis ad longum habet Bullam Greg XIII. illas sodalitates instituentis & extendentis. Et eas Indulgentias, non obstante aliquo Decreto Innoc. XI. adhuc valere pro sodalitatibus aggregatis, docent Ills. & Viva supra §. 4.

1361. Q. 188. Quid notandum sit circa Indulgentias, quæ in templis Societatis JESU esse solent in Dominica Agonia Christi & in dominica Communionis generalis sive Animarum. R. seqq. §. 1. Interrogatus ex Rheno inferiori P. Josephus Photius, qui ab initio fuerat præses sodalitates Agoniae, respondit Romæ 2. Dec. 1690. 1. absentes impeditos posse lucrari indulgentias Agoniae, si die designato alibi comunicent. 2. Moniales, quæ egrediuntur, si hinc & nunc per accidens impediuntur, posse lucrari alibi, uti de aliis dictum est. 3. Si die designato impediti, aut etiam non impediti, alio die Dominico ejusdem mensis comunicent, & multò magis si Societas transferat

Indul-

Indulgentias in alium diem quàm nunc designatum, omnes posse lucrari, quia sodales ipsi eligere possunt diem Communionis, attamen Dominicum, si Dominicus sit nominatus in Breui. Nihilominus ista responsa nobis visa 1362 semper sunt dubia, ideoque Anno 1709. iterum hæc proposuimus Romæ, ad quæ P. Sestius vir doctrinâ & rebus gestis celebris, nunc A. R. P. Generalis monitor, respondit tam de Indulgentiis Agoniæ quàm Animarum, 1. Absentes quantumvis impeditos, & alibi communicantes non lucrari, quia requiritur, ut fiat in templo nostro. 2. Id valere de quibuscunque etiam Monialibus re ipsa non communicantibus in nostro templo. 3. Nec lucrari alio die non designato intra mensem communicantes, quia quamvis sit liberam ab initio hunc vel illum diem designare, prout Breve permittit, si tamen dies sit per nos semel designatus, ille determinatè est retinendus, quia positâ designatione in eum cadit gratia per Breve collata, nec amplius mutari potest.

§. 2. Quoad tertium de Communione in 1363 utrisque Indulgentiis facienda in nostro templo, idem Romæ responderat anno 1684. P. Ampringer, & Conf. ex Gob. in Quin. tr. 3. n. 197. idemque habetur in Resp. Rom. v. Indulgentiæ Communionis generalis. §. 6. ad Prov. Bohemiæ Anno 1643. Denique quando Colonix Communicatio generalis incidit in diem Paschæ, isto die petitur & obtineri solet à Vicario generali facultas distribuendi Communionem in nostro templo, quam non daret, si judicaretur transferri posse in aliam Dominicam.

§. 3. Etiam quæsitum est, an dictas Indulgentias 1364

gentias

gentias Agoniæ vel Animarum lucrari possint in sacello domestico nostri, qui vel ob infirmitatem vel ob aliam legitimam causam non possunt Missam legere vel communicare in templo nostro: & Respondit P. *Sestius*, rem esse controversam, nam *Quintanadv.* in Comm. gener. append. tr. 1. dub. 6. affirmat, quia sacellum videtur facere unum cum Ecclesia, tanquam accessorium cum principali & tanquam membrum cum capite: addit tamen n. 7. securius esse fieri in templo aut in Capellis intra illud contentis: ideoque Romæ, ubi cubicula S. Ignatii in maxima veneratione sunt, obtentum est speciale Breve, ut ea visitantes lucrentur Indulgentias templis nostris concessas. Itaque cum agatur de valore, puto standum omnibus responsis P. *Sestii* tanquam tutioribus: idemque quoad omnia iudicavit major pars nostrorum in hoc Collegio Colonensi.

1365 §. 4. Etiam interrogatus P. *Ampringer* Romam respondit anno 1684. seqq. 1. non debere necessarîo pro festo principali ullius confraternitatis eligi diem Dominicum, sed esse ad libitum confratrum, nisi aliter exprimat in Brevi. 2. Nec pro 4. festis infra annum, pro quibus datur Indulgentia 7. annorum, necesse est eligi 4. Dominicas, sed posse eligi quæcunque festa, etiam non fori. 3. Non requiritur, ut Romam nuntietur dies, quam sodales vel Societas elegerit, ordinariè tamen requiritur scientia & consensus Ordinarii. 4. Indulgentiæ Societati concessæ pro confraternitate Agoniæ non possunt communicari aliis Ecclesiis, vel aliis quibusvis personis. 5. Indulgentiæ animarum non possunt communicari aliis Ecclesiis non nostris, nisi

nisi pe  
Indulg  
sando  
§. 5.  
& Ani  
plicar  
do sep  
applic  
ctione  
tur, ne  
Quint  
Q.  
ille In  
inveni  
tet ex

D  
tam,  
falsæ,  
circu  
adhib  
vel à  
quòd  
quide  
nem  
nùs p  
fioni  
frustr  
gatio  
dies  
& In

nisi per nos in iisdem Ecclesiis habeantur dictæ Indulgentiæ, audiendo Confessiones, dispensando Eucharistiam &c.

§. 5. Quamvis utraque Indulgentias Agoniæ & Animarum possit quis vel sibi vel Animæ applicare, non potest tamen eodem die bis orando septies *Pater & Ave* easdem & sibi & Animæ applicare, quia tantum conceditur sub disjunctione, ut quis vel pro se vel pro Anima lucretur, non autem dicitur, ut pro se & pro Anima,

1366

*Quintanad. dub. 12. n. 4.*

Q. 189. An prudenter credi possit, quod omnes illæ Indulgentiæ sint veræ & authenticæ, quæ passim inveniuntur in variis libellis. R. Negative, uti patet ex decreto seq.

1367

DECRETUM.

De apocryphis Indulgentiis.

**D**Elatæ sæpius fuere ad S. Congregationem Indulgentiis sacrisque Reliquiis præpositam, Indulgentiæ quædam confictæ & omnino falsæ, quæ per diversas orbis christiani partes circumferuntur; aliæ verò examinandæ, quæ adhibito studio inventæ sunt vel apocryphæ, vel à Romanis Pontificibus revocatæ, vel nullæ, quòd datum eis tempus præteriisset, quarum quidem plurimæ, cum non facilem cognitionem habeant, Christi fideles harum rerum minus peritos fallunt, qui spe Indulgentiæ remissionisque peccatorum suorum consequendæ frustrantur. Quamobrem eadem S. Congregatio vehementer cupiens huic malo magis in dies serpenti occurrere, animarum profectui, & Indulgentiarum dignitati consulere, plures illas

illam

illarum singulari diligentia colligi, & in Indicem referri curavit.

1368

Tales imprimis sunt illæ, uti asserunt, concessæ à *Joanne II.* & *Sixto IV.* recitantibus orationem charitatis *JESU Christi Domini Nostri, Precor te piissime Domine &c.* Ab *Urano II.* Ecclesiæ *S. Mariæ*, ut vulgò dici solet, campagnolæ, & *S. Victoriæ*, ab *Eugenio III.* Revelationi de plaga in humero *JESU Christi* factæ *S. Bernardo.* Ab *Innocentio III.* Archiconfraternitati, & Ordini Redemptionis. A *Bonifacio IX.* visitantibus Capellam *S. Nicolai de Tolentino* in ejus die festo. A *Joanne XXII.* osculantibus mensuram plantæ pedis *B. Mariæ Virginis.* Ab *Alexandro VI.* Imagini *B. Mariæ*, vulgò dictæ *Laghetti.* A *Leone X* gestantibus funiculum *S. Francisci*, primùm in urbe impressæ, deinde *Mediolani* anno 1665. (suas tamen habent, & veras confratres Archiconfraternitatis *Cordigerorum S. Francisci*) recitantibus salutationem angelicam ad pulsum horologii, & imagini *Conceptionis Mariæ Virginis Immaculatæ* in circulo depictæ, cujus pedibus luna subjecta est. A *Pio IV.* vel *Pio V.* Principi *Senarum.* A *Clemente VIII.* dicentibus orationem, *ô magnum Mysterium, &c.* & Ecclesiæ *S. Mariæ*, quam vocant, *Montis Serrati, Avenione* impressæ, tum alia pro animabus *Christi fidelium defunctorum* impressæ *Matrici* 20. *Julii* 1606. A paulo V. cantantibus hymnum: *Te Matrem Dei laudamus, te Mariam Virginem confitemur, &c.* vel si die *Sabbathi* intererint, dum idem canitur, & *Coronis, Rosariis, Imaginibus, Numismatibus*, quæ medallias appellant, ab eo benedictis, *Federico Cardinali Borromæo* supplicante anno 1611. dum

dum Ecclesia Romæ in honorem S. Caroli ædificaretur: & ab eodem Paulo & Gregorio XV. dicentibus: *Sia lodato il Sanctissimo Sacramento, laus sanctissimo Sacramento.* Ab Urbano VIII. in honorem ejusdem Sacramenti, precibus Cardinalis Magalotti, & Sacerdotibus celebratâ Missâ dicentibus: *Ave filia Dei Patris, Ave Mater Dei filii &c.* A Clemente X. recitantibus manè, meridie ac vespere consuetam Antiphonam, *Angelus Domini &c.* & in fine *Deo gratias & Mariæ*; ac demum aliæ à nonnullis Romanis Pontificibus tributæ, ut ajunt, Coronis Mysteriorum Passionis Domini Nostri JESU Christi, prece magni Ducis Etruriæ.

Talis indulgentia Sodalitatis S. Nicolai, quâ repetitâ quinquies oratione Dominicâ, & Salutatione Angelicâ, unam liberari animam quolibet die à Purgatorii pœnis affirmant. Tales aliæ Perusii Confraternitatis sanctorum Sebastiani & Rochi; & Romæ Societatis S. Bernardi ad columnam Trajani; Tales demum aliæ Cruce signatorum S. Eustorgii, Mediolani, Arimini & Bononiæ.

Ejus generis sunt & illæ concessæ, ut ajunt, Capellæ Rosarii in Ecclesia S. Antonii de Rovigo, seu Rodigii, vel Ecclesiæ SS. Trinitatis Bergomi, aut S. Petri Montis Tondoni, die festo Inventionis SS. Crucis, vel gestantibus funiculum S. Francisci de Paula, vel celebrantibus Missas S. Augustini, aut alias quinque in honorem quinque Festivitatum B. Virginis, vel recitantibus Officium S. Franciscæ Romanæ, aut Antiphonam, *ô Passio magna &c.* in memoriam Passionis JESU, aut Rosarium S. Annæ (quod Congregatio sacrorum Rituum non probat)

Ddd

aut



aut orationem, quæ impressa cum imagine S. Annæ circumferri solet, *Ave gratia plena &c.* (quæ oratio prohibetur) aut Officium Conceptionis B. Virginis immaculatæ, quod afferunt à Paulo V. probatum fuisse, aut orationem, *Deus, qui nobis in S. Syndone &c.* (excipitur Indulgentia centum dierum anno 1671. concessa precibus Ducissæ Sabaudia ad annos 25. cunctis in illius ditione degentibus) aut aliam, *Ave filia Dei &c.* post Communionem recitandam, vel aliquo conspicuo signo venerantibus Ss. Eucharistiæ Sacramenti nomen; Indulgentiæ rursus octoginta millium annorum veteri de Tabula exscriptæ, quam in Basilica Lateranensi asservari affirmant, pro dicentibus orationem illam verè piam, *Deus qui pro redemptione mundi &c.*; tum quæ impressæ fuerunt Papiæ anno 1670. sub hoc titulo, *Sommario dell' indulgenze concesse dalla santità di Nostro Signore Papa Leo X. all' Immagine della Concezzione della Gloriosa Vergine Maria*: vel Pisauri sub nomine B. Joannæ, anno 1608. evulgatæ: vel Barlettæ seu Barul à recitantibus quasdam, non sanè malas orationes, lucrandæ: vel Parmæ à visitantibus per quadragesimæ dies Ecclesias tertii Ordinis S. Francisci; vel Pistorii & Vastallæ à recitantibus orationem, *Ave sanctissima Maria, Mater Dei, Regina cæli &c.* Et aliæ in peculiari impresso libro descriptæ, quibus frui dicunt devotos Seraphicos & Benefactores.

His annumerandæ sunt, quæ Crucibus Caravacensibus tributæ dicuntur, vel Coronæ sive Stellario Conceptionis Virginis immaculatæ, quod ex duodecim globulis precariis constat, vel granis, crucibus & Coronis Aloysiæ ab  
Ascen-

Ascensione Hispanæ Monialis Ordinis S. Claræ, vel mensuræ altitudinis JESU Christi Domini Nostri, vel imagini, aut mensuræ vulneris lateri ejus inflicti; vel orationi, ut ajunt, in sepulchro Domini nostri repertæ, & indulgentiæ, ut ajunt, innixæ revelationi factæ sanctæ Brigittæ, Mechtildi & Elisabeth, vel B. Joannæ de Cruce, & concessæ, ut asserunt, granis, quæ aliquod ex tribus granis tetigerint extantibus penes Romanum Pontificem, Hispaniarum Regem & Ministrum Generalem Fratrum Minorum Observantiæ S. Francisci.

Omnes verò, & singulas jam dictas indulgentias S. Congregatio partim esse confictas, & planè falsas declarat, partim apocryphas, vel ex alio capite nullas, quæ nemini suffragari possunt; easque in futurum ullo in loco, ut veras publicari, & lacrandas Christi fidelibus proponi vetat; foliaque & libros, ubi sic proponuntur, seu asseruntur, omnino præcipit aboleri, nisi prædictæ indulgentiæ fuerint diligenter expunctæ; nec ideo tamen vult alias, quas hoc Decretum non continet, pro veris & legitimis, taciteque probatis haberi.

Ac demum omnes indulgentias concessas 1369 ante Decretum Clementis VIII. datum die 9. Jan. 1597. Coronis, Rosariis, Granis seu Calculis, Crucibus & Imaginibus sacris: vel ante Breve Pauli V. quod incipit, *Romanus Pontifex* &c. editum 23. Maji 1606. personis Regularibus quarumcunque Religionum. & Ordinum, etiam Mendicantium, vel ante Constitutionem 115. Clementis VIII. cujus initium, *Quacumque*, &c. & 68. Pauli V. incipientem, *Quæ salubriter* &c. habitas per aggregationem vel aliam com-

municationem ab Archi-Confraternitate ulla, Ordine, Congregatione, Societate etiam JESU, Capitulo, vel cœtu quocumque, vel ab eorum Officialibus, Superioribus aliisque personis vel persona, etiamsi earum vel ejus mentio specialis, & individua facienda esset, nisi fuerint deinde Romani Pontificis auctoritate innovatæ, aut confirmatæ, nullius roboris esse & momenti pariter declarat.

Porro summaria indulgentiarum pro Congregationibus doctrinæ Christianæ, Confraternitatibus Ss. Trinitatis & Redemptionis Captivorum, Nominis Dei, Rosarii, B. Mariæ de Mercede, & Redemptionis Captivorum, B. Mariæ de Monte Carmelo, cincturæ S. Augustini & S. Monicæ, nisi ab eadem Congregatione recognita, non permittuntur.

1370 Indulgentias verò Stationum Urbis, quæ à Romanis Pontificibus singulari quodam beneficio vel communicatæ sunt vel communicantur interdum aliquibus locis, Ordinibus aut personis, diebus tantum Stationum in Missali Romano descriptis suffragari posse declarat: semel autem duntaxat in die plenariam indulgentiam in certos dies Ecclesiam visitantibus concessam, vel aliud pium opus peragentibus, lucriferi.

De quibus relatione factâ per Secretarium ad Sanctissimum, cuncta, Sanctitas sua probavit & inviolatè servari jussit. Datum Romæ die 7. Martii 1678. Die 12. Martii affixum & publicatum &c.

*Notandum* tamen est, quod scribit *Viva* in appendice Indulgent. §. 2. his verbis: Recitantibus vespere ad pulsum campanæ, *Angelus Domini.*

mini. *Ecce ancilla. Verbum caro &c.* cum tribus Ave, *Adrianus VI.* plenariam indulgentiam largitus est, ut referunt communiter cum *Pelliz. tr. 10. c. 9. n. 40. Gob Escob Rodriq. Lezan. Diana p. 4. t. 4. R. 24.* Quæ autem ab *Innoc. XI.* declaratur apocrypha, est solùm indulgentia *Clementis X.* adscripta recitantibus manè vel meridie aut vespere, *Angelus Domini cum Deo gratias & Mariæ.*

Q. 190. An per idem opus obtineri possint plures indulgentiæ. R. §. 1. Negant *Suar. Gran. Côn. &* plures alii, quia ex mente Ecclesiæ & praxi fidelium videntur singula opera pro singulis indulgentiis requiri, quæ sententia in praxi suadenda est. Attamen si tales indulgentiæ sint diversis viis concessæ, præter citatos à *Busenb.* oppositum tenent *Bonac. Escob. Quintanad. dub. 12. n. 4.* ac probabile reputant *Henriq. Gob. Dian. p. 10. t. 16. R. 14.* consentit *Viva q. 8. a. 1.* si sermo sit de operibus, quæ eodem die iterari non possunt: hinc inferunt, si eodem die sint in diversis templis diversæ indulgentiæ, præsertim si una sit applicabilis defunctis, altera vivis, per unicam Confessionem & Communionem posse utrasque obtineri, orando in singulis templis preces præscriptas, quia talis Confessio & Communio tantùm præsupponitur tanquam dispositio, unica autem dispositio moralis sufficit ad plures effectus morales, v. g. una actualis gratia, unus actus fidei, ad multos actus meritorios. Videndum tamen, in quo templo fortè fieri debeat Communio, secundùm dicta n. 1362.

§. 2. Si hodie sit indulgentia in templo A., 1372  
cras in templo B., adhuc putant *Busenb. Dicast. Burgh. cent. 2. casu 26.* & alii sufficere Confessio-

nem hesternam & Communionem hodiernam pro utriusque indulgentiis hodie & cras lucrandis, testaturque *Dicast.* multos viros doctos in Hispania interrogatos ita sensisse. Idem dicunt *Turr. Dian. Escob. Comit.* licet prima primo die mensis, secunda sexto lucranda esset, rationem dant, quia Bullæ non mathematicè sed moraliter volunt ista opera fieri tempore pro tali indulgentia assignato, quod turba videtur esse, si non distet longius: Hinc Theologi Collegii Romani (uno excepto, qui contradixit) interrogati ab hac Provincia putarunt ad lucrandas indulgentias festo Circumcisionis sufficere, quod quis in festo Nativitatis Christi confessus communicarit, referendo etiam ad indulgentias Circumcisionis: Rationem dant, quia verba, *qui verè pœnitentes confessi & communicati* in Bullis *Pauli III. & Greg. XIII.* iunguntur cum verbo, *visitaverint*, & non cum festo Circumcisionis, ipsi autem octiduo antè confessi & communicati ex intentione hujus indulgentiæ, hodie festo Circumcisionis visitant templum & in eo orant, ergo adimplent verba concessionis. Addunt non obstare, quod interim fortè inciderint in mortale, dummodo de hoc ante visitationem templi & orationem conterantur. Hæc illi, an probabiliter, judicent alii.

1373 §. 3. Easdem indulgentias non potest quis sibi lucrari & simul alteri applicare, uti dictum est n. 1366.

1374 Q. 191. An indulgentia pro certo tempore concessa, possit intra illud tempus sæpius obtineri, si repetantur opera injuncta. R. §. 1. *Busenb.* cum aliis dicit probabiliter esse, quod non, & *Fill. t. 8. c.*

10. n. 278. dicit sic declarasse *Clementem VIII.* etiam de Jubilæo anni sancti: Et n. 765. dicit idem respondisse S. Congregationem. His tamen non obstantibus multi, cum *Gob. De Jubilæo* c. 20. q. 57. & c. 14. q. 40., & *Viva* q. 6. a. ult. Item alii apud *Belleg.* p. 6. f. 2. q. 7. adhuc tenent contrarium, nisi in Bulla aliud exprimat: quod adhuc plures dicunt, si in tua patria lucreris & postea alibi peregrinus. Sæpe tamen Papa tollit potestatem bis lucrandi, uti apud nos in diebus anticineralibus. Hoc est probabile, si concessa sit Indulgentia ad augendam devotionem populi, vel ob concursum ejus per totam aliquam octavam, vel ob diuturniorem celebritatem festi alicujus Sancti, tum singulis diebus posse de novo à præstantibus requisita talem Indulgentiam obtineri, uti quibusdam locis conceditur illis, qui intersunt Officiis divinis in festo & per octavam Venerabilis Sacramenti.

§. 2. Si dicatur, quòd festo Patroni vel Titularis sint Indulgentiæ in aliquo templo, si duo Sancti, qui diversis diebus celebrantur, sint æquè principaliter Patroni vel Titularis, probabiliter utroque die habetur Indulgentia, uti dixi l. 4. à n. 1262. 1375

Q. 192. Si festum transferatur, an simul transferantur indulgentiæ. R. Negant *Az. Fagund. Portel.* in qq. Regul. v. *Festi dies*, & alii, quia sunt affixæ illi diei, quo ordinariè est festum. E contra affirmant alii cum *Diana* p. 6. t. 7. & 8. R. 31. dummodo festum transferatur in choro & foro. *Gob.* in *Quin.* t. 4. n. 327. dicit satis esse, si transferatur etiam in choro tantùm, saltem de primariis festis religiosorum, quia ratio manet eadem, 1376

eadem, scilicet ut à populo solenniùs & majori frequentia celebretur festum. *Sylv. p. I. v. Indulgentia. casu 2.* tenet cum *Az.*, si in Brevis ponatur, quòd concedatur Indulgentia in die obitus vel depositionis Sancti, aut die certâ mensis, uti in Portiuncula dicitur die 2. Aug. Si autem concedatur visitantibus Ecclesiam in festo talis Sancti, dicit transferri, & quando habetur festum, tum esse Indulgentias: Quidquid sit de his sententiis, quæ probabiles sunt, certum est ex dictis num. 1357., si apud nos transferatur festum sancti *Xaverii*, ex speciali privilegio etiam transferri Indulgentias: Similiter *Sixtus V.*, uti refert *Gobat. n. 336.* concedit indulgentias Sodalitatum transferri cum festo Annunciationis: Unde cum hoc dicatur esse speciale privilegium, vel concessionem, probabilius videtur alias indulgentias non transferri, sed lucrandas die impedito, à quo festum excluditur: *Nec obstat*, quòd *Greg. XIII.* pro festo *S. Francisci de Paula* dicat; *declaramus, nam non dicit tantum declaramus, sed volumus & declaramus*, sicque declarat ex voluntate sua id esse.

1377 Q. 193. Quid notandum sit circa Brevia vel Bullas, quibus Romæ conceduntur Indulgentia. *Re. seqq. §. 1.* Si Romæ 1. Januarii hoc anno 1711. fuerit subsignata indulgentia duratura ad septennium, hoc septennium incipit currere à die dati Brevis Romæ secundum declarationem n. 525. relata. An autem concessionem Indulgentiarum sint latè interpretandæ, dicitur num. 1395.

1378 §. 2. Si indulgentia plenaria concessa sit, v. g. ad 7. annos, non debet numerari annus Jubilei, nisi additum esset, ad 7. annos proximos, *Gob. De*

De Jubilæo n. 56. & De indulg. n. 663. Belleg. p. 2. f. 4. q. 6. & idem fortè est, si dicatur *ad septennium proximum*: si autem dicatur simpliciter *ad septennium*, Gob. & Viva q. 4. a. 5. contra Pasq. putant durare ad septem annos utiles.

§. 3. Si addatur: *Volumus autem, ut si alia indulgentia in dicta Ecclesia perpetuò vel ad tempus nondum elapsum duratura, concessa sit, presentes sint nullæ*, Sylv. & Diana p. 10. t. 16. R. 11. putantur ex declaratione Urb. VIII. sensum esse, ut indulgentiæ concessæ nullæ sint, si eodem die aliæ indulgentiæ concurrant: imò Urb. aliquando in suis Brevibus posuit: si quocunque etiam alio die anni durarent aliæ etiam diffimiles à se concessæ, ut hæ non valerent: sed Gav. Lez. Gob. dicunt nunc sensum esse, si eodem die aliæ indulgentiæ concurrant: Alii putant hoc jam addi tantùm ex stylo curiæ secundùm antiquas formulas rescribendi; sed difficultatem facit decretum sequens.

1379

## DECRETUM INNOC. XI.

Cùm à S. Congregatione indulgentiis sacrif- que Reliquiis præposita Cameracensis Archi-Episcopus quæsiuisset, quæ vis & sententia clausulæ (quæ hodie Brevibus indulgentiarum apponi solet) *Volumus autem, ut si aliæ Christi fidelibus dictam Ecclesiam qualibet anni die visitantibus aliqua alia indulgentia perpetua vel ad tempus nondum elapsum duratura, concessa fuerit, presentes litteræ nullæ sint*; S. Congregatio re diligentius examinata, Clausulam sic explicandam censuit, si videbitur sanctissimo Domino Nostro. Eâ minimè contineri Altaria privilegiata pro Defunctis, neque indulgentias, aut certò perso-

Ddd 5

narum



narum generi concessas, ut Confraternitati, Regularibus & Capitulo, aut certum pium opus in ipsa ecclesia peragentibus, ut Litanias, aliasve hujusmodi preces recitantibus, ac iis, qui Christianam doctrinam erudiuntur vel alios erudiunt, & qui sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti expositioni cum oratione quadraginta horarum interfunt, neque stationum Urbis & septem Altarium Indulgentias instar septem Altarium Basilicæ Vaticanæ concessas, neque demum, quæ pro unica vice conceduntur. Cæterum, si alia Indulgentia sive plenaria, sive non plenaria, in perpetuum vel ad tempus, tum ab eodem, tum ab alio Romano Pontifice, generatim Christi fidelibus ecclesiam vel aliquod ejus Altare seu Capellam visitantibus eodem anni die vel diverso concessa fuerit, de qua non fiat in litteris Apostolicis mentio, has litteras ob adjectam clausulam esse prorsus irritas ac nullas. Datum die 23. Junii 1676. De his autem factâ relatione ad Sanctissimum Dominum Nostrum die 18. Martii 1677. sententiam Congregationis approbavit. Affixum & publicatum &c.

Dicta tamen clausula non obstat, si petatur & detur prorogatio ante elapsam prius septennium, quia intelligitur non debere esse alias Indulgentias, quando tempus prorogationis incipiet post elapsam septennium,

2380

§. 4. Per Indulgentiam, quæ datur his verbis, *Informa Jubilæi*, intelligitur Indulgentia plenissima. Per hoc tamen non datur potestas eligendi Confessarium, qui absolvat à reservatis, aut dispenset in votis, præsertim cum nequidem Jubilæis certa ejusmodi potestas sit alligata,

gata, sed quavis vice designari solet, quæ & qualis sit, *Suar. Nav. Less. in Auct. v. Indulgentia. casu 3. Viva De Jubilæo q. 1. a. 1. contra Henriq. Rodriq. Vegam, Fill. Vasq. Escob. Boss.* qui putant per hoc concedi omnes favores Jubilæi, sed *Gob.* meritò dicit hoc non esse tutum in praxi.

§. 5. Quando conceditur Indulgentia, v. g. 1381  
100. dierum, communior sententia est cum *Bellarmin. Suar.* & aliis sic intelligi, quòd tum remittatur tam multum pœnæ alioquin persolvendæ in Purgatorio, quantum remitteretur per pœnitentiam 100. dierum persolutam secundum rigorem Canonum, præscindendo à devotione extraordinaria & fervore charitatis. Per Carenam autem intelligitur pœnitentia 40. dierum in pane & aqua, sic enim vocatur à carentia omnium aliorum ciborum. Per quadragenam intelligitur pœnitentia 40. diebus continuis agenda in ordinario jejunio vel alia afflictione corporis. Per septenam intelligitur pœnitentia 7. annorum. Atque ex his explicatur cum *Rayn. in Heter. tom. 15. p. 2. f. 3. pu. 5. n. 28.* quomodo aliquando concedatur Indulgentia v. g. 20000. annorum, tam diu enim non durabit Purgatorium, sed sensus est remitti pœnam, quanta remitteretur, si per tot annos impleta esset pœnitentia secundum antiquos canones: tantam autem potuerunt promereri aliqui peccatores, qui innumera mortalia commiserunt, supposito quòd singulis v. g. 7. anni pœnitentiæ respondeant.

Q. 194. *Quandonam cessent Indulgentia. R. §.* 1382  
1. Cessant imprimis per revocationem, quam probabilius est contra *Suar. d. 57. f. 2. n. 10.* debere esse exterius manifestatam. Revocari autem

tem

tem possunt ab eo, qui concessit, à successore, à superiore illius : & quidem validè etiam sine causa. Attamen si fiat revocatio Romæ, priùs non habet effectum in partibus, quàm innotuerit, *Suar. n. 9.* Deinde si limitato tempore aut sub aliqua conditione fuerint concessæ, tempore elapso aut conditione deficiente cessant.

1383

§. 2. Affixæ loco vel rei desinunt, si locus vel res destruat. Quòd si v. g. Ecclesia paulatim destruat & reædificetur, non cessant, cum sit eadem Ecclesia, quæ etiam non indiget novâ consecratione. Si simul destruat & in loco reædificetur, aliqui Canonistæ, *Rhod. Burgh. cent. 2. casu 49. Diana p. II. t. 8. R. 9.* putant priores indulgentias transferri in novam Ecclesiam, quia censetur moraliter eadem cum priore. E contra *Lugo* meritò dubitat, cum enim Ecclesia nova egeat novâ consecratione, non videtur censi eadem cum priori. Si indulgentia fuerit Rosario vel grano applicata, & hoc perdatur, probabilius est contra *Rhod.* perdi indulgentiam, nec posse rem aliam substitui.

1384

§. 3. Quamvis causa concessæ indulgentiæ desièrit, non ideo cessat indulgentia, dummodo causa à principio fuerit proportionata, nam sæpè propter causam temporalem conceditur indulgentia perpetua, *Suar. n. 14. Castrop. t. 24. pu. II.*

1385

§. 4. Si Crux frangatur, cui indulgentiæ erant applicatæ, *Burgh. supra & Gob. De indulg. n. 320.* putant, si Crux ab aurifabro redintegretur, manere indulgentias, quia censetur eadem moraliter crux, sed probabilius videtur non manere, nam positâ fracturâ non erat ampliùs eadem moraliter crux, ergo cessârunt indulgentiæ,

gentiæ, ergo licet crux redintegretur, non redeunt indulgentiæ, cum nulla sit nova causa, quæ reducat. Quod valet secundum *Pelliz.* apud *Dian.* p. 10. t. 16. R. 9. si indulgentiæ affixæ erant Cruci Caravacensi, & frangatur una pars transversa, tum enim desit forma Crucis Caravacensis.

§. 5. Non pereunt indulgentiæ morte concedentis, quia sunt beneficium Principis, quod decet esse mansurum. Idque tenet non tantum in Pontificiis, sed etiam in Episcopalibus & à Legato Pontificio concessis, *Suar.* n. 4. *Gonz.* ad Reg. 10. cancell. Gl. 12. Nec cessant renuntiatione, quia licet quis possit non velle lucrari, tamen non potest à se rejicere potentiam lucrandi, quia hæc provenit à libera alterius voluntate, quâ durante manet semper in potestate ejus, cui confertur indulgentia, mutare suam voluntatem & illam lucrari, *Suar.* n. 13. 1386

Q. 195. An indulgentiæ Regularium revocata à Paulo V., sint revalidata. R. §. 1. Non sunt revalidatæ, nam *Alex. VII.* damnavit hanc 37. prop. *Indulgentiæ concessæ Regularibus & revocata à Paulo V. hodie sunt revalidata.* 1387.

§. 2. Cùm Regulares dicerent plurimas sibi concessas indulgentias, quarum tamen aliquæ incertæ erant, *Paulus V.* die 23. Maji 1606. revocavit omnes indulgentias usque ad illum diem concessas quibusvis Religiosis & Monialibus: docuerunt autem aliqui hanc revocationem esse sublatam ab ipsomet *Paulo* vel alio successore, sed *Alex.* declarat oppositum, adeoque omnes indulgentiæ ante Bullam *Pauli* concessæ Regularibus manent revocatæ. Si tamen concessæ fuerint omnibus fidelibus, aut parentibus, 1388

parentibus

parentibus vel amicis Regularium, non sunt revocatæ, quia non fuerunt concessæ præcisè Regularibus.

- 1389 §. 3. Loco revocatarum dedit *Paulus V.* omnibus Regularibus, 1. plenariam in susceptione habitûs regularis. In professione. In primario festo sui Ordinis. In mortis articulo. Dum primam Missam celebrant vel ei interfunt. Facientibus exercitia spiritualia per 10. vel 8. dies: In his tamen omnibus semper simul fieri debet Confessio & Communio. 2. Indulgentias Stationum Romæ iis, qui proprium templum visitârint & ibi orârint: itemque multas alias, quæ videri possunt in Bulla *Pauli V. Romanus Pontifex*, quæ est 21. Et in Comp. novo privil. Societ. v. *Indulgentia*. §. 33. Item apud *Viva* in Appendice ad tract. De Jubilæo.

- 1390 Q. 196. An indulgentiæ vivæ vocis oraculo concessæ sint revocatæ. R. De privilegiis vivæ vocis oraculo concessis egi l. 1. à n. 850. ubi num. 861. insinuavi etiam indulgentias videri revocatas: sed ex dictis hic num. 526. constat valde probabile esse, non esse revocatas.

## PARAGRAPHUS II.

*Quotuplex indulgentia, & quomodo differat à Jubilæo.*

- 1391 **R** Esp. I. Indulgentia alia est totalis sive plenaria, plenior, plenaria, plenissima, quæ non tantum pœnitentiam injunctam per Confessarium vel Canones, aut secundum hos injunctam debitam, sed etiam omnem Purgatorii pœnam tollit. Nec differt à Jubilæo, nisi accidentaliter, privilegiis quibusdam, ut quod in Jubilæo

bilæo licita sit dispensatio in certis votis, abso-  
lutio à reservatis & censuris, & quòd Confes-  
sarius quivis approbatus possit eligi. v. Sa V.  
*indulg. Bon. d. 6. q. 1. p. 2.*

II. Indulgentia alia est Partialis, qualis est  
unius vel aliquot annorum; item septenæ, qua-  
dragenæ, carenæ; item tertiæ partis peccato-  
rum: per quas non significatur tolli tantam du-  
rationem Purgatorii, sed tantam pœnam re-  
mitti, quanta deleretur per jejunium unius aut  
aliquot annorum, aut quadraginta dierum in  
pane & aqua secundùm Canones olim imponi  
solicum. Porrò quando indulgentiis plenariis  
adduntur aliquot anni, vel remissio tertiæ par-  
tis peccatorum, id secundùm diversas senten-  
tias, vel ad diversos concedentes referendum  
est, vel facit ad cautelam, ut si fortè causa in-  
dulgentiæ non fuerit sufficiens, saltem valeat  
ad illos annos lucrandos; vel ut adjuncta con-  
cedatur pro alio tempore, actione & loco, vel  
denique, ut ea per modum suffragii possit aliis  
applicari. v. *Bellarmin. c. 9.*

Resp. II. Circa Jubilæum notanda sequentia.

I. Anno Jubilæo in Urbe durante suspendi  
solent tantisper extra Urbem omnes indul-  
gentiæ plenariæ, quoad vivos, etiam in carce-  
ribus, (non tamen in periculo mortis consti-  
tutos, ut contra *Laym. l. 5. t. 7. c. 8.* docet *Bon. d. 6. q. 1. n. 2.* ex declaratione *Urbani VIII.* factâ an-  
no 1625. neque quoad defunctos) itemque  
aliæ facultates, v. g. absolvendi à casibus Bul-  
læ Cœnæ, commutandi voti, dispensandi &c.  
concessæ in ordine ad lucrandas plenarias in-  
dulgentias: Non suspenduntur autem indul-  
gentiæ personis particularibus, aut ab alio,  
quàm

quàm

»quàm Papa concessæ, nec privilegia Religio-  
 »forum, v. g. absolvendi à reservatis, &c. quia  
 »tantùm suspenduntur facultates concessæ in  
 »ordine ad Indulgentias, Ita *Sanch. Henr. &c.*  
 »apud *Dian. tom. 1. tract. de Bulla Cruc. Fill. Bon. l. c.*  
 »*Benzon.* & denique *Lug. d. 20. n. 145.* ex decla-  
 »ratione *Urbani VIII.* anno 1625. Similiter ne-  
 »que suspenditur facultas concessa Episcopis  
 »per *Trid. sess 24. c. 6.* absolvendi & dispensandi  
 »cum suis subditis, in omnibus casibus Sedi A-  
 »postolicæ reservatis; item nec dispensandi in  
 »irregularitatibus, in impedimentis Matrimo-  
 »nii, aut petendi debitum, &c. quæ ex jure com-  
 »muni illis competunt, *Zerola V. Annus S. S. 4.*  
 »*Quint. in append. t. 8. d. 16.*

» 2. Et si probabile sit, quod docet *Nay.* sæpius  
 »lucrifieri posse Indulgentias intra Jubilæum,  
 »extensum ad duas septimanas; contrarium ta-  
 »men verius est, quod *Congreg. Cardin.* declara-  
 »vit, ut habet *Bon. (ex Suar. Sanch.) d. 6. q. 1. p. 5.*  
 »*n. 32.*, Qui tamen affirmat in anno sancto pos-  
 »se obtineri toties, quoties opera præscripta  
 »præstantur; idque ex declaratione *Urbani VIII.*

» 3. Satisfacere tunc, 1. Qui Sabbatho ante  
 »primam Dominicam confiterur, ut habet *Lay.*  
 »*Bon.* & praxis fidelium. Item qui confiterur &  
 »communicat ultimâ Dominicâ, claudente Ju-  
 »bilæum. Cætera tamen opera debere fieri an-  
 »te, & quidem intra unam hebdomadam, do-  
 »cet *Lug. d. 27. n. 105.* contra *Bon. p. 5. 2.* Qui or-  
 »dinem inter opera præscripta non servavit. 3.  
 »Si quis intra illud tempus cœperit Confessio-  
 »nem, quam materialiter imperfectam oportet  
 »teat differri longiùs; potest tunc absolvi à re-  
 »servatis, & commutari vota: postea verò extra  
 »tempus

tempus Jubilæi absolvi ab omnibus ; etiam  
quæ oblitus est, reservatis, ac in oblitis etiam  
dispensari : imò potest postea omnia facere  
Confessor finitâ Confessione, quæ antè, quia  
ceptâ causâ manet potestas delegati, donec fi-  
niatur. Ita Sa, Less. l. 2. c. 40. dub. 16. Bon. Lay.  
Sanch. l. 4. c. 54. Dian. p. 2. t. 2. misc. R. 11.

4. Qui neglexit lucrari Jubilæum in patria,  
potest alibi, dum ibi durat, lucrari, Sanch. Ugol.  
Dian. p. 3. t. 4. R. 151. Imò etiam in patria, si tem-  
pore publicationis ex invincibili ignorantia  
notitiam illius non habuit, Botten. Dian. l. c.

5. Quando duobus diebus immediatis oc-  
currunt duo Jubilæa, quorum singula Confes-  
sionem & Communionem requirunt, non o-  
pus est bis confiteri & communicare, dum-  
modo perseveres in gratia : alia tamen opera  
repetenda sunt. Turr. p. 2. d. 32. d. 64. vid. Dian.  
p. 4. t. 4. R. 166.

## A D D E N D A.

Quest. 197. Quid præterea in genere notandum 1392  
sit circa Jubilæum & Bullas, quibus conce-  
ditur. R. seqq. §. 1. Vox Jubilæum non dicitur  
à latino *Jubilum*, sed ab hebræo *Jobel*, quod, se-  
cundùm aliquos significat quinquagesimum, se-  
cundùm alios sonitum buccinæ, quo indiceba-  
tur quinquagesimus annus, Levit. 25. 27. Nume-  
rorum ult. Alii cum Bellarm. De Indulg. l. 1. c. 1.  
deducunt ab hebræo *Jubal* vel *Jabal*, quod si-  
gnificat germinare, quia anno quinquagesimo  
non colebatur terra, sed vescebantur sponte  
germinantibus. Belleg. in Enchir. De Jubilæo,  
p. 1. s. 1. q. 1.

Tom. VI.

E e e

§. 2.



- 1393 §. 2. Jubilæum est indulgentia plenaria à Papa concessa visitantibus aliquas Ecclesias ac alia certa opera facientibus, cum extraordinariis facultatibus circa absolutionem à peccatis & censuris reservatis, ac circa commutationem votorum. Et cum tantæ gratiæ concedantur, putat *Belleg.* p. 3. s. 2. q. 10. vix abesse veniale, si quis ex remissione animi vel negligentia non conetur Jubilæum lucrari.
- 1394 §. 3. Jubilæum aliud est universale, quod toti Ecclesiæ; aliud particulare, quod alicui tantum Ecclesiæ conceditur. Universale est vel ordinarium anni sancti, quod in primis sæculis omni anno centesimo celebrabatur, per *Clementem VI.* omni quinquagesimo: per *Urbanum VI.* omni trigesimo tertio: per *Paulum II.* omni vigesimo quinto. Vel est extraordinarium, quod extra annum sanctum concedi solet ex variis causis.
- 1395 §. 4. Bullæ Jubilæi, quâ parte continent favorem, sunt latissimè interpretandæ, quantum patitur proprietas verborum & usus Curie: quâ parte continent gravamen, strictè intelliguntur. Quoad concessionem indulgentiæ, electionem Confessarii, absolutionem, commutationem operum vel votorum &c. sunt favores. Quoad obligationem ad certa opera, suspensionem indulgentiarum & facultatum, &c. sunt gravamina. *Belleg.* p. 1. s. 1. q. 6. Univerſim rectè dicit *Viva* de Jubil. q. 2. cum communi, non tantum potestatem concedendi sed etiam concessionem indulgentiarum aut Jubilæi esse latè interpretandam.
- 1396 §. 5. Gratia Jubilæi non expirat per mortem Papæ, qui concessit, dummodo causa perseve-

severet: quæ tamen non perseverat, si præcisè fuit, ut hic Papa obtineret gratiam bene regendi. Attamen probabile est etiam in hoc casu valituras absolutiones & commutationes votorum intra tempus, quo ignoratur mors, quia ubi est error publicus cum aliquo titulo, Ecclesia confert jurisdictionem, uti dixi l. 6. p. 1. à n. 112. Addunt *Boss. Pasq. Viva* a. 3. n. 10. quando Papa dicit, *ut impetretur gratia ad bene regendam Ecclesiam*, esse sensum, ut Ecclesia bene regatur, non, ut ipse præcisè Papa bene regat, adeoque etiam mortuo isto Papâ manebit causa finalis.

§. 6. Jubilæum extraordinarium durat per dies 15., id est, per 3. Dominicas & 12. dies feriales. Possent tamen Ordinarii inchoare quocumque die septimanæ. Et quamvis *Pax-Jord.* cum communiore dicat debere pro eodem die promulgari per talem Diœcesin, eò quòd Papa jubeat statim publicari, tamen *Pelliz.* & alii putant posse ex rationabili causa priùs in urbibus, postea in pagis, aut etiam postea pro Monialibus, ut omnes possint habere extraordinarios Confessarios.

Q. 198. *Quid notandum sit circa Jubilæum anni sancti.* R. seqq. §. 1. Hoc Jubilæum Romæ conceditur, & futurum esse, promulgatur die Ascensionis Domini, incipit autem à primis Vesperis Vigilæ nativitatis Christi usque ad sequentes primas Vesperas Vigilæ ejusdem festi, mos enim est Ecclesiæ Romanæ annum computare à Christo nato. Solennitas additur, quòd porta aperiatur ante, sed claudatur post Vesperas. Videri potest *Viva De Jubilæo* q. 1. a. 2. ubi q. 3. a. 3. docet contra *Gob. Lug. Dian.* &

alios, per Jubilæum anni S. concedi etiam alios favores, præter Indulgentias plenarias.

1399 §. 2. Ex hoc, quòd in anno sancto Papa omnes invitet Romam, non ideo licitum est omnibus ire contra voluntatem Superiorum, nec uxoribus absque consensu virorum, nec filiis sub patria potestate constitutis, multò minùs filiabus sine voluntate parentum: nec Beneficiatis obligatis ad residendum sine facultate Episcopi, *Belleg. p. 2. f. 1. q. 4.*

1400 §. 3. Ad hoc Jubilæum requiri solet Confessio, non tamen Communio, sed visitatio certarum Ecclesiarum, & quidem ab inquilinis Romanis per 30. dies continuos vel discontinuos; à peregrinis per 15., putatque *Belleg. f. 3. q. 3.* toties obtineri posse hoc Jubilæum, quoties repetuntur opera.

1401 §. 4. Durante anno S. suspenduntur indulgentiæ omnes pro vivis, etiam affixæ granis, numismatibus, quinque Ss. &c. Non tamen Laureti; & secundùm *Gob.* etiam non B. Virginis Einsidlensis. Nec Compostellæ, uti habet *Castrop. tr. 24. p. 12. §. 1.* Nec Portiunculæ Affisii: suspenditur tamen indulgentia Portiunculæ alibi per orbem, *Viva q. 4. a. 1.* Putant etiam *Sanch.* & alii cum *Viva a. 3.* non suspendi indulgentias Bullæ Cruciatæ, quia sunt per modum contractûs: Nec moribundorum, uti habent *Gav. Lez. Dian. Viva a. 4.* contra *Laym. Tann. Castrop.* & declarârunt *Urb. VIII Inn. X. Clemens X.* qui cum dicat *Declaramus*, valet hoc etiam pro futuro tempore. Nec tantùm hoc est de articulo mortis vero, sed etiam probabili & prudenter præsumpto, licet mors non sequatur. Putantque probabiliùs *Fill. Lez. Castrop. Dicast.*  
Quin-

*Quintanadv. Gob. Viva contra Tann.* non suspendi nisi plenarias, concessas à Papis, adeoque manere non plenarias: estque certum manere concessas ab aliis quàm à Papis, qui alii etiam durante anno S. concedere potuerunt, *Viva a. 1.* quia tantùm dicunt revocari suas, *Belleg. s. 4. q. 2.* Quamvis autem Indulgentiæ immediatè pro defunctis concessæ maneant, tamen concessæ immediatè pro vivis & applicabiles defunctis, quales sunt agonix & Animarum, seu Communionis generalis revocantur, uti declaravit *Clemens X.* apud *Viva q. ult. a. 2.*

§. 5. Cùm prohibitum sit durante anno sancto, non tantùm promulgare publicè vel privatim, sed etiam inducere fideles ad lucrandas Indulgentias suspensas, uti certum est apud *Belleg. q. 7.*, dubitatum est, si tum in Dominica Animarum exponantur tabulæ referentes Purgatorium, quales aliàs exponuntur istà die, an hoc sit inducere ad lucrandas Indulgentias. Negârunt aliqui Doctores hîc Coloniae, putantes tantùm esse signum, quòd optemus, ut populus istà die pro Animabus oret. Nihilominus cum aliis putavi hoc esse inducere, nam sicuti ad hoc, ut dicar alterum per scandalum inducere ad peccatum, sufficit quòd hîc & nunc aliquid ponam, quod per se natum est inducere alterum ad peccatum, licèt peccatum non intendam, ita & hîc, nam in his circumstantiis exponere ejusmodi tabulam est ponere aliquid per se inductivum ad judicium, quòd obtineri possint Indulgentiæ, præsertim cùm multi adhuc sint in persuasione, quamvis falsâ, quòd hæ Indulgentiæ, in quantum sunt pro defunctis, permaneant. Deinde tabulæ illæ nunquam

sunt solitæ exponi, nisi ad hoc ipsum significandum, ergo licuti qui post autumnum exponit hederam, hoc ipso inducit ad iudicium novi vini venalis, ita qui hic exponit illas tabulas: propterea anno 1700. ex voluntate Superiorum non est Coloniae exposita ista tabula, imò nec Venerabile, quòd aliàs semper fiebat.

¶ 403 §. 6. Facultates absolvendi &c. concessæ ad alium finem quàm lucrandi Indulgentias, non suspenduntur, uti declarârunt plures Pontifices & tradunt Auctores cum *Belleg. q. 4. & Viva a. ult.* quamvis enim verba videantur derogare facultatibus ex quacunque causa concessis, tamen præsumi debet eandem semper esse mentem sequentium Pontificum, nisi constet de opposito. Hinc non suspenduntur facultates, quas habent Episcopi & Regulares ex vi suorum Officiorum, Indultorum, privilegiorum, si enim intelligeretur, prout verba sonant, revocatio omnium facultatum absolutè, etiam revocaretur facultas absolvendi à non reservatis, quod nemo dicit: ubi è contrà si facultas absolvendi etiam à non reservatis concessa esset ratione aliquarum Indulgentiarum, hæc suspenderetur.

¶ 404 §. 7. Hæc suspensio Indulgentiarum, & facultatum incipit à primis vespers Nativitatis Christi & desinit cum fine vesperarum ejusdem vigiliæ: tumque reviviscunt absque nova concessione, *Castrop. supra.* Similiter concessæ ad certos annos pergunt currere, secundùm dicta n. 1378. Si tamen Bulla haberet, uti aliquando habuit, *Usque ad nostrum & Sedis Apostolicæ beneplacitum*, putant *Navar. Zerol. Rodrig. Tann. Gob.* non revalescere elapso anno S., adeoque opus esse

esse novâ concessione, sed *Castrop. & Quintanadv.* dub. 18. dicunt illud Papæ & Sedis apostolicæ beneplacitum non extendere se ultra annum S.

§. 8. Post absolutum Romæ annum S. solet 1405  
Papa concedere Jubilæum etiam pro aliis Provinciis extra Italiam, si Episcopi vel Nuntii Apostolici requirant: & exemplaria refert *Gob.* De Jub. n. 412. Possuntque hoc in partibus iterum lucrari, qui Romæ lucrati sunt, *Belleg.* l. 5. q. 7.

Q. 199. An per indulgentias plenarias, quæ ordinariè vel in Jubilæo conceduntur, remittantur absolute omnes pœnæ temporales peccatis remissis debita. &c. Negant *Caj.* & alii, quia usus Indulgentiarum maximè introductus est propter gravissimas pœnitentias peccatis injunctas juxta canones, & loco talis pœnitentiæ implendæ conceditur Indulgentia, ergo per Indulgentias non remittuntur nisi pœnæ talibus pœnitentiis canonum respondentes. E contra *Suar. Amicus* tom. 8. d. 20. l. 3. *Viva* q. 5. a. 1. dicunt Indulgentias etiam extendi ad alias pœnas fortè restantes, quamvis pœnitentiis injunctis non respondeant, Papa enim potest etiam has remittere, ergo quando in concessione non limitat, censendus est velle, ut remittantur, *Lugo* d. 27. à n. 8. probabiliùs distinguit, & affirmat tum remitti tantùm pœnam pœnitentiis injunctis correspondentem, quando in concessione additur, *Ex pœnitentiis injunctis*, tum enim mens Papæ videtur restringi. Si autem hoc non addatur, censet remitti omnes pœnas, cum enim Papa non restringat, non est, cur nos restringamus. Ut tamen omnes planè pœnæ re-

mittantur, necesse est, imprimis non retineri affectum ad ullum veniale, nam pœna non dimittitur, nisi dimissâ culpâ: dein de debent plenè fieri omnia opera præscripta.

1407 Q. 200. *Quid præterea sit notandum circa requisita pro lucrands indulgentiis vel Jubilæo.* B. seqq. §. 1. Ad indulgentias ordinarias requiritur confessio, Communio & oratio. Ad Jubilæum præter ista requiritur jejunium, processio aut visitatio templorum & eleëmofina, de quibus omnibus postea ordine aliquid addam. Nec Ordinarii possunt plura vel alia requirere, quàm requirat Papa, *Belleg.* p. 3. s. 2. q. 10. Inchoari tamen non potest executio operum, nisi post designationem temporis ab Ordinariis locorum faciendam. *Viva* q. 8. a. 2. Et perinde est, quo ordine præstentur ea opera: possuntque præstari extra locum promulgati Jubilæi, dummodo templa designata visitentur, uti dicitur à n. 1434. Estque probabilius cum *S. Th. Suar. Fill. Boss.* *Viva* q. 5. a. 5. meliùs dispositum aut intensiùs præstantem opera non ideo accipere majorem fructum, hic enim non respondet dispositioni nostræ sed voluntati concedentis.

1408 §. 2. Si quid modicum negligatur ex operibus præscriptis, docent *Busenb. Dian.* p. 5. t. 5. R. 7. dari parvitatem materiæ, quæ non impediat effectum indulgentiæ: putat tamen *Belleg.* p. 1. s. 3. q. 6. si ex 5. *Pater* orandis ommitteretur unum, fore partem notabilem: Idem dicit *Viva* q. 8. a. 5. si ex 30. visitationibus ecclesiarum, quæ fieri debent in anno S., ommitteretur una.

1409 §. 3. Putant *Henriq. Sanctar. Sanch. Lugo. Viva* a. 2. & alii omnia opera fieri debere in una septimana, sed *Nav. Bonac. Laym. Præpos. Dian. Castr op.*

*Castrop. P. March. Belleg. p. 3 f. 3. q. 3.* dicunt, quamvis jejunia omnia in una septimana fieri debeant, tamen opus non esse, ut reliqua opera, quia Romanis, inquit *Castrop.* permittitur, ut jejument in ea hebdomada, quâ ecclesias visitant, vel in sequenti, & ut Communionem in sequentem Dominicam vel in aliquem diem ex duabus hebdomadibus differant, ergo idem possunt alii. Prior sententia meritò sequenda est, quia tutior.

§. 4. Quamvis n. 1307. dixerim ad satisfaciendum pro se vel alio ex opere operantis, requiri, ut opus fiat in statu gratiæ, tamen ad lucrandas indulgentias, per quas ex opere operato obtinetur remissio pœnarum, communis sententia est, sufficere, si ultimum opus, & quando hoc est aliquid successivum, si ultima ejus pars fiat in gratia, quod confirmat praxis fidelium, qui præcipua opera præmittunt confessioni, & se omnia bene egisse credunt, si postea priùs doleant de peccatis, confiteantur & communicent. Excipiunt *Bellarmin. & Belleg. p. 1. f. 3. q. 3.* nisi opera præcipiantur ad placandum Deum, vel ad impetrandum, vim enim illam nõ haberent facta in mortali: sed exceptionem rejicit *Viva q. 6. a 2.* nam etiam tum disponunt ad placandum Deum, & vim habent merendi de congruo: Addit ex *S. Th. Præp. Trull. Regin.* si pro defunctis sint indulgentiæ, non obstare, quòd in mortali fiant omnia opera, quia non his sed meritis Christi respondet ratio satisfactionis, & ita etiam Domino prodest eleëmofyna, quam dat servus peccator.

§. 5. Si opus, etiam ultimum, vitietur ex circumstantia venialiter mala, uti si ponatur



simul ex vana gloria, probabilius est adhuc obtineri Indulgentiam, quamvis enim non placeat Deo, prout fit ex malo fine, tamen est hoc, quod tanquam conditio præscribitur, & factum, quia præscribitur, sic de se bonum est ac placens Deo, *Castrop. tr. 24. p. 9. Belleg. q. 4. contra Cõn.*

1412 §. 6. Si ultimum opus expletum sit in mortali, probabilius est non reviviscere Indulgentiam remoto peccato, quia licet absolute sic dari posset Indulgentia, de facto tamen mens Papæ non est suspendere effectum Indulgentiæ ultra opus ultimum ad Indulgentiam requisitum, *Castrop. p. 8. Belleg. q. 7. Viva a. 3. & alii communiùs contra Palud Silv. Henriq.*

1413 §. 7. Indulgentia obtinetur, dum completur ultimum opus, unde si hoc sit jejunium, lucrans obtinebit mediâ nocte ultimâ, etiamsi tum dormiat, *Lugo, Dian. Gob. Belleg. p. 3. f. 14. q. 5.*

1414 Q. 201. *Quid notandum sit circa confessionem & Communionem requisitam.* R. seqq. §. 1. Si pro Indulgentiis præscribatur confessio, *Busenb. aliique multi cum Dian. p. 3. t. 4. R. 126. Aversa q. 10. f. 2. Belleg. p. 3. f. 7. q. 1. Viva q. 8. a. 3. dicunt eum, qui habet sola venialia, non teneri confiteri, quia confessio non videtur aliter requiri, quàm quia est necessaria ad effectum gratiæ recipiendæ: Deinde quia sicuti per peccatum simpliciter, intelligitur mortale, ita per confessionem peccatorum, videtur intelligi, mortaliùm. E contra Sot. Sanch. Bonac. Fagund. aliique apud citatos authores dicunt talem adhuc teneri confiteri, quia Confessio requiritur tanquam unum ex operibus præscriptis, non aliter*

aliter ac jejunium vel eleëmofyna. Utraque sententia est probabiliis, sed ultima, quia tutior, meritò tenenda, etiam propter dicta n. 1324.

§. 2. Qui tenent confessionem venialium non requiri, debent consequenter dicere, si quis non sit confessus, & die ultimo etiam post Communionem, ante expletam septimanam incideret in mortale, teneri adhuc confiteri, quia jam intra tempus Jubilæi lucrandi est in mortali, & necdum confessus est. Quòd si antea confessus esset sua venialia, adhuc putant *Suar. & Fill.* teneri per accidens ad secundam confessionem istius mortalis, quia necdum posuit opus præceptum: sed *Vasq. Præp. Castrop. Lugo d. 27. n. 101.* *Viva* contradicunt, quia Bullæ non exigunt nisi unam confessionem. Si tamen necdum expleverit ultimum opus, secundum omnes tenebitur elicere contritionem, ut hoc opus ponatur in statu gratiæ, secundum dicta n. 1410.

§. 3. Certum videtur ex dicendis n. 1475. contra *Dianam R 148.* pro lucrando Jubilæo non sufficere confessionem sacrilegam. An autem sufficiat pro tollenda censura & reservatione, dicitur n. 1449. & 1695. Pro Jubilæo lucrando confessio sufficit valida & informis, si dari possit, dummodo reviviscat intra tempus Jubilæi, *Suar. Bonac. Fill. Belleg. q. 1.* Putat etiam *Viva* sufficere invalidam, si talis sit absque culpa pœnitentis, dummodo de suis mortalibus conteratur, sed hoc valde dubium est, cum nequidem substantia operis requisiti ponatur.

§. 4. Confessio fieri potest uno vel etiam duobus diebus ante primam Dominicâ, *Laym.* dicens non esse dubium, *Castrop. Gob.* Item fieri pot-

potest ultima Dominicâ cum Communionem ;  
uti declaravit *Greg. XIII.* Si dicatur , *ante omnia*  
*confiteatur* , tutius erit præmittere omnibus ,  
mens tamen Papæ videtur esse , quòd confessio  
sit res quasi principalis , unde satis erit confiteri  
intra tempus Jubilæi , *Henriq. Sa.* Si dicatur , *quî*  
*confessi visitaverint* , *Nav. Benz. Pollach.* putant  
præmittendam , sed alii cum *Diana p. 5. t. 12.*  
*R. 30.* meritò contradicunt , *Belleg. q. 4.*

1418 §. 5. An una confessio & Communio suffi-  
ciat pro duabus diversis indulgentiis . & qui-  
dem lucrandis diverso die , dixi à n. 1371.  
Quando autem Papa in anno sancto dicit , *con-*  
*tritis & confessis* , non requirendo Communio-  
nem , *S. Anton. Nav. Bellarm. Zech. Less. Laym.*  
*Abell. Adr. Caj. Cord.* requirunt confessionem  
mortalium ; è contrà *Palud. Gers. Panorm. Angel.*  
*Silv.* putant sufficere vel contritionem perfe-  
ctam , vel cum attritione confessionem , quod  
probabilissimum esse meritò dicunt *Castrop.*  
*Gob.* & alii cum *Belleg. q. 1.* quamvis meritò sua-  
deri debeat confessio actualis.

1419 §. 6. *Lugo, Gob.* & alii cum *Diana p. 3. r. 4.*  
*R. 148.* putant sufficere Communione sacrile-  
giam , dummodo intra tempus præscriptum  
homo restituatur gratiæ , quia Communio sa-  
crilega est vera & valida Communio , ergo illâ  
positâ habetur substantia operis præscripti. Sed  
oppositum est nunc tenendum cum *Belleg. q. 1.*  
& *Vindice Gob.* ad prop. 29. sicuti enim pro Pa-  
schate non satisfacit per Communione sacrile-  
gam , quamvis hæc sit vera & valida Commu-  
nio , uti constat ex dictis l. 6. p. 1. n. 628. , ita nec  
hic , quia nempe mens Ecclesiæ & Papæ est , ut  
in utroque casu ponatur , non tantùm tale opus  
in

in substantia, sed etiam opus vivum, operativum gratiæ Dei & veniæ de peccatis, eò quòd ad hos fines instituatur Communio Paschalis & obtentio Indulgentiæ. Hinc Pasq. & Viva putant contra Boss. non sufficere Communionem bonâ fide sumptam à constituto in mortali: Si tamen Eucharistia bonâ fide suscepta cum sola attritione, per accidens causet primam gratiam, quod multi docent, sufficet talis Communio; Viva a. 4.

§. 7. Notant Henriq. & Laym. apud Belleg. 1420 q. 6. pueros posse tantò citiùs admitti ad Communionem, ut possint lucrari Jubilæum, nam quamvis reliqua opera commutari possint, dubium est, an commutari possit Confessio & Communio, uti dicitur n. 1441. Putat tamen Vasq. in pueris non requiri Communionem, quia Jus illis prohibet, quando autem conditio est de Jure impossibilis, habetur pro non apposita, Cap. Tua De testamentis. Quod quamvis ut probabile defendat Viva, id tamen incertum est.

Q. 202. Quid notandum sit circa orationem requisitam. & seqq. §. 1. Communis sententia requirit orationem vocalem: Nav. tamen Fill. Trull. Gob. & alii cum Viva q. 8. a. 5. dicunt sufficere mentalem, cum hæc propriè sit oratio: sed tutius est saltem miscere vocalem. Nec videtur sufficere oratio cum voluntariis distractionibus, quia non est devota nec apta ad impetrandum id, quod Papa intendit. Licet dicatur orandum Deum, sufficit orare preces ad B. Virginem vel Sanctos, Lugo d. 27. n. 111. Belleg. p. 3. l. 4. q. 10.

§. 2. Si dicatur orationem fieri debere per aliquod tempus, satis est fieri per medium quadrans

drantem. Et ad ordinarias indulgentias sufficit orare septies *Pater & Ave*, nam *Greg XIII.* in Bulla, *Omnipotentis*, dicit Sodales lucrari Indulgentias Stationum, si certis diebus in templo Societatis *JESU* hoc orent.

1423 §. 3. Requiritur oratio in loco, tempore, & ex intentione per Bullam designatis. Ordinariè locus est, ubi est Indulgentia. Tempus est inter utrasque Vesperas. Intentio est pacificatio Principum Christianorum, extirpatio hæreseon, exaltatio *S. Matris Ecclesiæ*, de quibus expedit quandoque expressè monere pœnitentes, nam secundùm dicta n. 1324. probabile est requiri notitiam expressam talis intentionis.

1424 Q. 203. Quid notandum sit circa jejunium & elemosynam requisitam. & seqq §. 1. Jejunium, per se loquendo, est trium dierum, Mercurii, Veneris, Sabbati, nec fieri potest extra dies præscriptos; nec dividi in duas septimanas, uti habet communis contra *Laym. Bonac.* & alios, quorum sententiam *Lugo d. 27. n. 105.* vocat falsam: Faciliùs tolerari potest, ut cum causa dies jejunii intra eandem septimanam commutetur, *Henriq. Fill. Gob. De Jubil. n. 213. Viva q. 8. a. ult.* Modus servandi est, quem singulæ Provinciæ tenent tali tempore in aliis jejniis, *Sanch. in Decal. l. 4. c. 11.* Non obligati jejunare, v. g. pueri, senes, infirmi, itinerantes, laborantes, jejunare debent, si lucrari velint, nisi per Confessarium commutetur. Qui per privilegium potest vesci carnibus vel facere duplicem refectionem, si utatur suo privilegio, non lucrabitur Indulgentiam, nisi hoc commutetur in aliud opus. Non impedit collatiuncula, nec potus, nec modicum sumptum per diem, *Belleg. p. 3. f. 5. q. 1.*

§. 2. Satisfit per jejunia aliunde debita, ex 1425  
 voto, pœnitentia, præcepto, nam sæpè in Qua-  
 dragesima promulgatur Jubilæum, *Lugo* n. 110.  
*Belleg.* p. 1. f. 3. q. 1. cum communi contra *Silv.*  
*Tabie. Arm. Bonac. Viva* q. 8. a. 1. *Nec obstat*, quòd  
 non lucrer per eleëmofynam, quam darem  
 pauperi, cui eam debeo, secundùm dicenda n.  
 1428. *nam* disparitas est, quòd illa solutio debiti  
 tollat rationem eleëmofynæ, quæ ex natura  
 sua est donatio gratuita; è contrà jejunium exhi-  
 bitum, quia votum est &c. non tollit rationem  
 jejunii.

§. 3. Eleëmofyna secundùm communem 1426  
 cum *Viva* a. 6. contra *Zanard.* debet esse corpo-  
 ralis: quo nomine etiam venit domi excipere  
 pauperem peregrinum, Religiosum, mendi-  
 cum; vel aliud opus ex 7. misericordiæ corpo-  
 ralis, etiamsi Bulla diceret dandam eleëmofy-  
 nam, *S. Th.* 2. 2. q. 32. a. 2. *Gob. Arsd. Belleg.* p.  
 3. f. 6. q. 1.

§. 4. Si Bulla nihil determinet, sufficere eleë- 1427  
 mosynam quantumcunque parvam etiam pro  
 quovis divite docent *Rodriq. Dian. Leo, Faustus*  
 & alii: *Nav. Cord. Regin. Alloza* probabiliter vo-  
 lunt dandam proportionatè ad personæ facul-  
 tates. Licèt Bullæ nunc dicant, *prout unicuique*  
*devotio vel charitas suggesserit*, tamen *Zech. Pourré*  
 & alii adhuc dicunt sufficere quantumcunque  
 parvam, sed alii meliùs dicunt simul habendam  
 esse rationem dictaminis interni suadentis plùs  
 vel minùs. Et quia *L. Si oleum. ff. De dolo*, dicitur  
 minima non esse in consideratione, rectè di-  
 cit *Viva* q. 8. a. 6., quando aliquid committitur  
 arbitrio operantis, non sufficere quidvis mini-  
 mum, sed metiendum secundùm regulas pruden-

dentia. Si tamen diceretur *juxta cujusque facultatem*, dives deberet dare eleëmofynam majorem quàm alius, *Bonac. Gob. Busenb. Belleg. q. 2.*

1428

§. 5. Satis est dare semel eleëmofynam, licet Bulla diceret, *eleëmofynis, Fill. Gob.* Etiam perinde est, quo die, an ante, an post Communionem, *Grass. Henriq. Leo, Dian. Gob. Nec obstat esse debitam ex voto vel pœnitentia, quia non ideo desinit esse eleëmofyna, Bossius, Lugo contra Viva, a. 1.* Sed non debet esse debita ex justitia, nequidem Legali, qualis debetur Parentibus, Avis, Fratribus, quia tum est potiùs solutio debiti, & habentes tale jus non sunt pauperes: attamen respectu aliorum consanguineorum indigentium esset eleëmofyna. Est etiam satis dare per alium rem meam: si tamen hic non daret, secundùm *Bonac. Lug. Homob. Busenb. Gob. Viva a. 6.* non lucraret, quia non est data eleëmofyna, cum non sit sublevatus pauper; secundùm *Sa, Lez. Dicast. Alloza* lucraret, quia quantum est in me, data est. Quòd si mittatur ad pauperem absentem, ad quem non perveniat intra duas septimanas Jubilæi, non lucratur, nisi aliquis nomine pauperis acceptasset, *Lugo & alii.* Si autem, qui accepit, non fuerit reipsa pauper, lucratur, ad eleëmofynam enim sufficit dari ad sublevandam miseriam hominis, qui prudenter judicatur pauper, *Lugo, Maillard, Rhod. Viva.* Censetur etiam dare, qui pro se datam ab alio habet ratam intra tempus Jubilæi, *Cord. Sa, Lugo, Boss. Suar. Gob.* qui putat sufficere ratihabitio- nem generalem & habitualem lucrandi Jubilæum & se juvandi per opera utilia à se vel alio ponenda, sed probabiliùs contradicunt *Lugo & Maillard,* dicentes etiam apud Religiosos de- bere

bere eos præmonere, quando Superior ex communibus bonis dat pro eis, cum eleemosyna debeat esse actio moralis, adeoque procedere ex cognitione & volitione, *Belleg. q. 3.*

§. 6. Per pauperes intelliguntur etiam non habentes necessaria ad statum juxta qualitatem & conditionem, *Nav. Sanch. Lug. Dian. & alii*: item loca pia, hospitalia, Ecclesiæ indigentes luminaribus, ornamentis, ædificiis; Monasteria Religiosorum, *Belleg. q. 4.*

§. 7. Omnes debent dare, qui possunt: si autem quis non possit, *Nav. Henriq. Fernand. Dian. Gob. Arsd.* putant non esse opus commutari, dummodo dent parvam v. g. pomum vel frustillum panis, sed consultius est commutari, *Viva.* Potest Religiosus cum venia Superioris dare eleemosynam per amicum sæcularem, *Lugo.* Franciscani habentes tantum usum, dant eleemosynam, si hoc usu se abdicent, sic enim in pauperem transit dominium, *Lugo, Belleg. q. 5.*

Q. 204. Quid notandum sit circa Processionem & visitationem templorum, requisitam ad Jubilæum. & seqq. §. 1. Sufficit vel Processioni interesse vel templa visitare: ille autem non diceretur interesse Processioni, qui per aliquot horas antecederet aut sequeretur, sed incedere debet junctus corpori procedentium, quod censebitur fieri, etiamsi distet tino quadrante, si alii & alii interjecti etiam præcedant aut sequantur, *Belleg. p. 3. f. 4. q. 2. & seqq.* Multa de sanctitate & utilitate Processionum; & quæ in eis cavenda sint, videri possunt apud *Rayn. in Heret. rom. 15. p. 1. f. 1. pu. 8.*

§. 2. Visitatio templorum fieri potest etiam

*Tom. V. l.*

*Fff*

*curru*



curru vel equo: item ab iis, qui in templo habitant. Additur fieri debere *devote*, quod fit etiam à constituto in mortali, item ab immodesto & peccante per viam, si modestè ingrediatur & orret, *Belleg. q. 6. Viva q. 8. a. 5.* Non autem necessariò fit visitatio omnium templorum unâ die: & qui Missam audit in templo, hoc ipso visitat, *Belleg. p. 2. f. 5. q. 5.*

¶ 433 §. 3. Si præscribatur tantùm visitatio templi, & illud ingredi non possis, satisfacit orando ad ostium, etiam clausum, *Suar. Lugo & alii cum Diana p. 1. t. 11. R. 103.* Imò si per concursum nequidem ad ostium liceret pertingere, putant aliqui satis esse orare in cœmeterio, quia hoc in favorabilibus venit nomine templi: si tamen præscriberetur orare in certa Cappella vel ad certum Altare templi, oporteret ingredi. Si præscriberetur in eodem templo visitari plura Altaria, satis esset ex eodem loco se convertere ad singula. Si ibi non essent tot Altaria, quot visitari præscribitur, satis esset tot inclinationes & orationes repeti ad illa, quæ ibi sunt, quot Altaria debebant visitari, *Belleg. p. 3. f. 4. q. 9.*

¶ 434 Q. 205. *Quid notandum sit circa itinerantes, peregrinos, impeditos.* &c. seqq. §. 1. Si Titius *Coloniæ* post promulgationem Jubilæi visitavit templa, potest ire *Treviros*, & ibi vel in via explere cætera opera, Bullæ enim non requirunt, ut reliqua opera fiant in loco domicilii vel promulgationis, sed in quocunque, *Laym. Bonac. Castrop. tr. 24. p. 12. §. 3. Lugo d. 27. à nu. 124. Belleg. p. 3. f. 3. q. 6.* Quòd si abiens non pergat explere opera, poterit reversus, etiam post elapsum tempus Jubilæi lucrari, Papa enim navigantibus

bus & iter agentibus concedit, ut reversi habeant alios 15. dies, in quibus opera omnia faciant & lucrentur. Quod tenet, quamvis prius in fine ultimæ septimanæ iter incepissent, *Lugo, Belleg. l. 2. q. 4.*

§. 2. Si Titius Coloniae post promulgationem non visitasset templa, sed tantum fecisset reliqua opera, non posset Treviris, ubi etiam ipso praesente promulgaretur Jubilæum, lucrari, nisi hic repeteret praedicta opera, quia opera Coloniae facta, antequam Treviris acquisivisset jus ad Jubilæum, haberent se impertinenter ad Jubilæum Treviris obtinendum; visitationes autem templorum Trevirensium non possent ei servire ad Jubilæum Coloniense obtinendum, ergo vel Treviris debet ea opera repetere, vel facere commutari, *Lugo num. 127. Belleg. l. 3. q. 7.*

§. 3. Si quis ultimo die veniat ad locum Jubilæi, potest petere, ut opera, quæ facere non potest, sibi commutentur, nam secundum dicta veniens ad locum acquirit jus, *Lugo n. 125.* Et quamvis Bulla haberet, *pro omnibus Christi fidelibus Civitatis & Diœcesis A.*, tamen lucrari possent etiam peregrini alterius Diœcesis, quia Jubilæum illud non est merè personale, sed etiam locale, & talis peregrinus censetur pro tunc pertinere ad locum A., cum sit fidelis ibi existens, qui potest se hujus legibus subicere, *Belleg. p. 2. l. 5. q. 5.*

§. 4. Cum detentis carcere, captivitate, infirmitate vel alio justo impedimento; item cum illis, qui tempus promulgati Jubilæi invincibiliter ignorarunt, potest Confessarius commu-

tare, vel in aliud proximum tempus prorogare, uti jam dicetur.

1438 Q. 206. Quid præterea notandum sit circa commutationem operum & prorogationem temporis. R. seqq. §. 1. Lucraturus ipse non potest, nequidem in melius, commutare opera, vel prorogare tempus lucrandi Jubilæi, sed hoc committitur soli Confessario.

1439 §. 2. Putant *Sanch. Lugo, Busenb.* & alii plurimi cum *Belleg. p. 3. f. 8. q. 5.* commutationem operum vel prorogationem temporis fieri posse extra Confessionem, dummodo intra tempus Jubilæi, etiam à quovis legitimè approbato, cui posses confiteri, quamvis ei confiteri non cogites, & addunt id declaratum esse à *Greg. XIII.* sed aliqui dubitant, quia per Confessarium putant intelligi Confessarium lucraturi Indulgentias, cui autem confiteri non cogitas, non potest dici tuus Confessarius: prior tamen sententia, quia ita communis est, videtur tuta.

1440 §. 3. Putant *Fill. Lugo, Viva q. 8. a. ult.* & alii, quos referunt *Diana p. 5. t. 12. R. 26.* & *Belleg. q. 7.*, quamvis aliquis sponte opera præscripta neglexisset, si die ultimâ dolens de hoc optet lucrari Jubilæum, posse ei commutari opera vel prorogari tempus, sed *Præpos. & Arr.* probabiliter contradicunt, quia voluntariè negligens non dicitur impeditus, *Cap. Com-misso. & Cap. Si quis. De electione in 6.*, Bullæ autem loqui solent de legitimè impeditis & illis, qui ex ignorantia vel bonâ fide opera eousque omisissent. Et quidem putant *Diana, Cotton. Al-loza, Busenb. Arsdok.* eum, qui invincibiliter ignoravit tempus promulgati Jubilæi, posse gaudere

gaudere prorogatione ad alios 15. dies, sed *Lugo* d. 27. n. 119. contradicit, quia solis navigantibus & iter agentibus conceditur illa prorogatio: pro aliis tantum datur Confessario facultas commutandi opera, *Belleg. l. 2. q. 3.*

§. 4. Secundum antiquas Bullas poterant omnia opera commutari cum habentibus impedimentum, sed quoad confessionem & Communionem, oppositum nunc tenet *Lugo* n. 118., quia Bullæ nunc pro Impeditis concedunt communicationem vel prorogationem tantum horum operum, scilicet jejunii, eleëmofynæ, visitationum templi & orationis, nullâ factâ mentione confessionis vel Communionis: sed cum multi cum *Diana & Belleg. l. 8. q. 2.* adhuc dicant posse commutari etiam confessionem & Communionem, hoc videtur probabile. Et quoad Communionem, posse eam commutari cum pueris, docent *Vega, Sanctar. Hurt. Boss.* apud *Viva* q. 8. a. 4. Spectanda tamen sunt verba singularum Bullarum, & de eis judicandum secundum dicta n. 1395

§. 5. Si pœnitens reliquis peractis ultimâ die confiteatur & videatur esse in occasione proxima relabendi, probabile est Confessarium posse differre confessionem & Communionem, ac pœnitentem postea posse lucrari Jubilæum: idem est, si jam non possit integrè fieri confessio, quia meritò præsumitur de voluntate Papæ, quòd permittat differri, *Boss. Dian. Lug. Sanch. Gob. Belleg. q. 7.*

§. 6. Si causa commutandi fuit reipsa insufficientis, sed bonâ fide judicata est sufficiens, nihil impedit, quia commutatio remittitur iudicio Confessarii: Putat tamen *Viva* q. 8. a. ult.

causam commutandi, v.g. jejunium, debere esse majorem, quàm quæ sufficit in dispensando die aliàs præcepto. Nec tanta requiritur ad proroganda opera, quanta ad commutanda, *Fill. Gob. Belleg. q. 3.* Quamvis autem possent opera prorogari ad sequens tempus post Jubilæum, tamen videtur meliùs subrogare alia, quæ statim perficiantur, *Belleg. q. 6.*

1444

§. 7. Commutatio fieri potest in opera pietatis, æqualia moraliter, etiam aliunde debita, secundùm dicta n. 1425. & 1428. Et æqualitas spectanda est, non tam attendendo ad præstantiam vel pœnalitatem operis, quàm ad mentem & finem Papæ. Bullæ etiam notant attendendum esse ad conditionem pœnitentis, ut nempe fiat in opera, quæ præstare possit, hinc mutari potest jejunium in eleëmofynam. Aliqui dicunt posse in aliquantò minus, cùm vocent dispensationem. Opus, in quod fit commutatio, non necessariò fieri debet eo die, quo debebat fieri opus alterum, hinc die ultimo commutari possunt opera, quæ prioribus erant facienda, *Lugo, Gob. Belleg. q. 4.*

1445

Q. 207. Si quis ponat hoc, quod opinio probabilis dicit sufficere, & Papa fortè plus requirat, an obtineatur Indulgentia vel Jubilæum. R. §. 1. Affirmant probabiliter *Amicus tom. 8. d. 21. à n. 47. & Viva q. 3.* ac probabile fatetur *Diana p. 10. à 11. R. 34.* quia si erretur, putant Ecclesiam supplere, ut l. 6. p. 1. à n. 117. dixi Ecclesiam supplere, ubi potest, si quis secundùm opinionem communiter receptam aliquid omittat etiam circa administrationem Sacramentorum: sed probabilius contradicunt *Bossius, Bonac. d. 6. q. 1. p. 5. Diana p. 5. t. 12. R. 32. Gob. in Quin. t. 4. num.*

710.

710. *Belleg.* p. 1. s. 1. q. 9., quia licet Ecclesia suppleat, quando agitur de bono communi, non tamen si de bono tantum particularis personæ. *Nec obstat*, quod *Gob.* num. 712. referat *Urbanum VIII.* dixisse Indulgentias valere illo modo, quo prudentes, pii doctique Theologi existimant valere, nam imprimis id valere potuit tantum pro temporibus *Urbani*. Deinde hoc intelligit *Gob.* de iudicio vel communi vel plerorumque vel saltem notabiliter plurium Theologorum. Quoad favores tamen annexos Jubilæo, hi acquiruntur sequendo sententiam probabilem, v. g. si divides opera in duas septimanas, quamvis sententia dicens id fieri posse, non esset vera, tamen sic lucrando Jubilæum acquiris jus, ut absolvaris à censuris, quia quando ob rationem gravem probabile est Sacerdoti competere potestatem absolvendi, validè absolvit, uti habet communis cum *Belleg.* & *Viva* a. 2.

§. 2. Si quis falsò sed invincibiliter putet se legitimè esse confessum, secundum *Nav.* *Zech.* *Lorich.* *Benzon.* lucratur; uti & ille, secundum *Nav.* *Henriq.* *Rodriq.* *Fernand.* *Pourré.* *Gob.* *Belleg.* p. 3. s. 7. q. 1. qui non potuit confiteri, vel bonâ fide putavit non requiri confessionem, vel per improbitatem aut errorem Confessarii non est legitimè absolutus, quia cum non stat per eum, ad quem pertinet, quominus conditio impleatur, haberi debet perinde ac si impleta fuisset; *Reg.* 66. *Juris in* 6. Sed probabilius contradicit *Viva* q. 6. a. 2. nam si conditio respiciat nudum factum ejus, qui debet illam ponere, Regula ista tum tenet, uti constat ex *L. Legatum.* *Cod. De condit. inser.*

E. contra non tener, si respiciat etiam ipsum eventum conditionis, uti hic fit.

1447 Q. 208 Quid præterea notandum sit circa facultates, quæ in Jubilæo conceduntur, absolvendi à reservatis vel censuris, & seqq. §. 1. Hæ facultates conceduntur in favorem eorum, qui seriò intendunt lucrari Jubilæum: hinc dari potest absolutio talis, antequam pœnitens aliquid ex præscriptis operibus faciat, dummodo habeat verum propositum illa exequendi, & adsit promulgatio Jubilæi, quamvis sit prima dies, *Belleg.* p. 3. f. 10. q. 3.

1448 §. 2. Si sic absolutus postea non lucretur Jubilæum, etiam ex pigritia, non ideo reincident in reservationem vel censuram, quia absolute est absolutus, *Nav. Henriq. Vasq. Laym. Platel. Belleg. q. 4. Viva q. 11. a. 5. contra Ugol.* Et putant *Henriq. Sanch. Bonac. Lug. Portel. Castrop. Belleg. q. 5.* talem, qui postea negligit lucrari, non peccare, saltem mortaliter: E. contra *Suar. Vasq. Fill. Aversa q. 17. f. 8. Viva* dicunt ideo peccare mortaliter, quia non satisfacit tacitæ promissioni in re gravi.

1449 §. 3. Qui lucrari voluit & absolutus est, quamvis lucratus non sit, potest postea à non habente potestatem in reservata absolvi à reservatis oblitis vel ex causa omissis, quia prior Confessarius volens facere quidquid potuit, absolute sustulit reservationem, *Sanch. Fill. Portel, Diana, Pelliz. Viva q. 11. a. 4. Castrop. Dicast. d. 11. n. 163. Belleg. q. 6. & alii, quos referam n. 1695.* Quòd si confessio fuerit invalida per culpam, quamvis *Caj. Zech. Henriq.* & alii dicant adhuc fore sublatam reservationem, quod probabile censent *Bonac. & Diana p. 3. t. 4. R.*

150. item *Lugo, Dicast. Gob. Viva* a. ult. si poenitens non adverterit defectum, quia Confessarius voluit facere, quantum potuit, reservatio autem potest tolli non sublati peccatis, oppositum tamen est probabilius cum *Rodriq. Sanch. Regin. Castrop. Tamb. Belleg. Aversa* §. At vero, quia ut ille, qui habet mortale, lucretur Jubilæum, & consequenter ut acquirat jus absolutionis à reservatis, requiritur confessio valida, secundum dicenda n. 1475.

§. 4. Qui primâ septimanâ lucratus est Jubilæum, si secundâ in reservatum vel censuram incidat, potest ab his absolvi, saltem si præscripta opera repetat. *Nav. Henriq. Rodriq. Regin. Leon. Dian. Gob. apud Belleg. q. 2. & cum Viva q. 11. a. 3.* Quod etiam tenent *Castrop. & Dicast.* à n. 255., quamvis dicant eundem non posse bis lucrari Jubilæum: imò posse absolvi, quamvis non repetat opera præscripta, docent *Rodriq. Sa, Diana, Lohmer*, quod probabile esse dicunt *Grass Bonac. Castrop. Dicast.* Hinc dicit *Sanch.* multò magis posse absolvi sæpius intra tempus septimanæ, quâ peragit opera. Quæ tenent, etiam si primis diebus septimanæ absolvisset omnia opera, quia pro favoribus assignatur tota septimana, *Castrop. Lugo, & probabile dicit Dicast.* Verba autem illa, *Pro hac vice tantum*, non videntur referri ad actum absolvendi sed ad tempus Jubilæi, *Viva* n. 2.

§. 5. Etiam si fortè non exprimat, tamen datur facultas absolvendi à reservatis ab Episcopo, *Suar. Vasq. Laym. Henriq. Regin. & alii* communissimè cum *Diana* p. 3. t. 4. R. 149. & *Viva* a. 2. contra *Vegam, Rodriq. Bonac. & alios.* Item ab hæresi, nisi expressè excipiatur, uti de-



claratum esse testatur *Filliuc.* Quamvis autem exciperetur hæresis, non ideo exciperetur favor, receptatio, defensio hæreticorum; neque lectio, impressio, retentio librorum hæreticorum, nec blasphemia hæreticalis, si hæc non sint conjuncta cum hæresi formali, *Sanch. Henriq. Suar. Dian. Lug. Gob. Belleg. q. 1. Viva a. 1.* Etiam absolvi potest, qui spe Jubilæi committit reservatum, quia hoc peccatum specialiter non reservatur, *Nav. Suar. Henriq. Fill. Boss. Viva a. 3. n. 1. Nec obstat, quòd Cap. Quando. De Consecr. Dist. 4* dicatur peccantem spe veniæ debere subesse pœnæ, nam *Gloss.* explicat, *multoties peccantem*: Et tantum significatur, quod dignus esset non obtinere veniam.

1452 §. 6. Quamvis reservatio possit extra confessionem sacramentalem tolli ab illo, qui habet potestatem ordinariam absolvendi à tali peccato reservato, tamen fieri debet in confessione ab illo, qui habet delegatam tantum potestatem, qualem habent Confessarii in Jubilæo, delegatur enim illis, ut auditâ confessione absolvant à reservatis, *Suar. Vasq. Less. Lug. Bordon. Gob. Belleg. q. 8.*: oppositum tamen videntur dicere alii citandi n. 1695. Et absolutionem à censuris ex causa dari posse extra confessionem, docent multi apud *Belleg. s. 11. q. 1. de* quo dicitur in l. 7. c. 1. ad dub. 6.

1453 §. 7. Per Satisfactionem partis, quæ si fieri possit, ad valorem præmitti debet absolutioni à censura, intelligitur restitutio debita honoris, famæ, bonorum &c. ob quorum læsionem lata erat censura. Per partem intelligitur læsus: hinc potest dari absolutio, antequam jura solvantur Judici, Tabellioni, Fisco &c. *Suar. Dian.*

*Tamp.*

*Tamb. Belleg. s. 11. q. 4* Item si absolvendus ita rem disposuerit, ut intallibiliter securura sit satisfactio, uti si det Confessario, vel apud alium deponat, quod restituere debet, aut à parte læsa dilationem obrineat, tum enim moraliter habetur satisfactio, *Henriq. Sanch. Viva q. 10. a. 2.*

§. 8. Si pœnitens nequeat satisfacere parti, 1454  
potest absolvi, *Barb. Vasq. Cón. Vega, Dian. Viva*, sic enim etiam absolvitur non potens restituere. Debet tamen præstare cautionem vel pignoratitiam vel fidejussoriam vel saltem juratoriam pro rei qualitate, *Suar. Dian. Gob.* Et sufficere pro foro interno firmum propositum, docent *Nav. Henriq. Valer. Dian. Nald.* probans ex Rituali Romano *Pauli V.* Consentiant *Laym. Viva & Tamb.* dicens, si impotentia semper futura est, non esse opus quicquam requirere à pœnitente, *Belleg. q. 5.*

§. 9. Si pœnitens absolutus non stet juramento vel promisso, non reincidit, quia absolute est absolutus, *Sa, Boss. Pasq. Gob. Viva contra Nav. Rodriq. Vegam.* Putant tamen *Laym Dian. Tamb. Belleg. q. 6.* per hoc peccare graviter. Similiter si Confessarius ante absolutionem non exigat satisfactionem, peccat graviter: si tamen pœnitens bonâ fide accedens, sit absolutus, quamvis Confessarius nil exegerit, est validè absolutus, *Belleg. q. 7.* Si inculpabiliter oblitus est satisfacere, transacto Jubilæo manet absolutus, sed cum onere satisfaciendi, *Boss. Viva q. 11. a. ult. n. 5.*

§. 10. Qui percussit Monachum eique satisfecit, 1456  
quamvis non satisfecerit Abbati vel Monasterio, secundum *Dian. Avil. Leand. Tamb. Viva q. 10. a. 2.* potest absolvi, quia satisfecit

par-

parti, idest, læso: sed contradicunt *Bonac.* & alii, pro quibus teste *Fill.* est praxis S. Pœnitentiariæ, quæ tenenda est, si injuria facta Monacho redundârit in communitatem, tum enim pars læsa non est solus Monachus sed etiam communitas, *Belleg. q. 7.*

1457 §. 11. In Jubilæo possunt pro foro interno absolvi excommunicati, etiam vitandi, & publici percussores Clerici, quamvis res etiam deducta sit ad forum contentiosum & necdum finita, quia verba absoluta eos comprehendunt, *Henriq. Sa, Sayr. Sanch. Lex. Dian. Gob. Belleg. q. 9. Viva q. 10. a. 2. & q. 11. a. 1. contra Vasq. Avil. Côn.* Talis tamen absolutio non impedit, quominus Judex possit cognoscere causam & imponere pœnam, *Belleg. q. 10.* Quòd si excommunicatio fuerit occulta, poterit absolutus se in omnibus habere velut non excommunicatum & capax esse Beneficii &c. hoc enim nulli præjudicat nec affert scandalum, *Suar. contra Pasq.* Si autem publicetur, attestatio Confessarii sufficet ad absolutionem probandam, quia in iis, quæ nemini nocent & alteri profunt, sufficit unus testis, ex *Cap. Parvulis. De Consecr. Dist. 4. Suar. Peyr. Boss. Pasq. Viva a. 3. contra Avil. & alios:* atque ita talis absolutio, saltem ex benigna admissione Judicis, proderit etiam pro foro externo, dummodo in Bulla non sit additum, quòd prodesse possit solum pro foro interno, *Suar. Fill. Gob. Viva.*

1458 §. 12. Quid intelligatur per facultatem absolvendi *ab omnibus peccatis & censuris*, dicetur n. 1616. & 1630. Et à n. 1613. agetur de facultate absolvendi ab hæresi. Docent autem plures, quòd *Diana* putat probabile, per verba illa, *ab*  
*omni-*

omnibus censuris, dari facultatem absolvendi etiam ab irregularitate ex delicto, quia videtur esse censura, sed contrarium tenendum est cum *Aversa* q. 17. l. 7. quia nulla irregularitas est censura, nec absolutio ejus est necessaria ad absolutionem à peccatis, ob quam datur facultas absolvendi à censuris. Et præterea in Bullis Jubilei ordinariè exprimitur non esse facultatem dispensandi super ulla irregularitate, *Belleg.* q. 1. *Viva* q. 10. a. 1.

Q. 209. Quid præterea addendum sit circa commutationem votorum. *R.* seqq. §. 1. Possunt ordinariè commutari omnia vota (exceptis Castitatis & Religionis) non tamen dispensari. Nec obstat, quòd vota sint jurata, uti dictum est l. 3. p. 1. n. 355. quod præter ibi citatos docent etiam *Suar. Meroll.* quamvis contradicant *Nav. Az. Less. Viva* q. 2. a. ult. n. 4. Et multa circa commutationem votorum videri debent l. 3. p. 1. à n. 507. An autem commutari possint vota in favorem tertii facta, dixi ibidem à n. 532. Possunt tamen commutari vota non votendi vel non petendi commutationem aut dispensationem, cum non excepiantur, *Suar. Sanch. Pelliz. Viva* q. 12. a. 1. Quandonam autem valeant ista vota, dixi l. 3. p. 1. à n. 417. Putarunt etiam *Valent. Boss. Sayr.* unum votum reservatum posse commutari in aliud melius, etiam proprià auctoritate, quod probabile dicit *Viva*, sed oppositum tenui l. 3. p. 1. n. 511. cum *Suar. Bonac. Sanch. Illf.*, quia hoc saltem reservatur iudicio Confessarii. Hoc certum est ex *Cap. Scriptura.* De voto, omnia vota etiam reservata commutari posse in professionem solennem Religionis: quomodo autem circumstantiæ voti reservati

1459

vati

vati commutari possint, dixi l. 3. p. 1. n. 550. Addit *Viva* q. 2. a. ult. cum *Nav. Az. Val. Sanch.* concessâ facultate dispensandi in votis & juramentis, non ideo concedi ad commutandum, quia putant Regulam, cui licet, quod est plus, licet, quod est minus, tantum tenere, si minus in maiore contineatur tanquam pars in toto, vel tanquam species in genere, quod hic non videtur esse: Sed oppositum tenet communis cum *Suar. Sa. Less. Laym. Regin. Bonac. Busenb.* quem retuli l. 3. p. 1. n. 506., quia potentia commutandi est veluti pars potentiae dispensandi, nam dispensare est manente lege pro aliis, pro hoc simpliciter tollere obligationem, quod fieri potest vel nihil vel aliquid substituendo, & cum erit commutatio.

1460 §. 2. Hæc commutatio fieri potest extra confessionem, etiam ab eo, cui non cogitas confiteri, uti dictum est l. 3. p. 1. n. 507. & conformiter ad dicta hic n. 1439. Item fieri potest ante omnia opera, dummodo habeas animum exequendi, secundum dicta n. 1447. Quod si mutet animum vel negligat, tenet commutatio, *Suar. Sanch. Portel. Viva* q. 12. a. ult. & alii. Putantque *Sanch. Henriq. Diana* & alii non ideo peccare mortaliter, sed in hoc contradicunt *Suar. Portel* & alii ob rationem datam n. 1448.

1461 §. 3. Commutatio fieri potest sæpius, etiam novorum votorum, quæ faceres durante Jubilæo, *Henriq. Sanch. Port. Trull. Belleg.* p. 3. f. 12. q. 5. Debetque fieri absolutè, secundum dicta l. 3. p. 1. n. 530. quamvis enim non peccaret commutans sub conditione, si exequaris opera præscripta, tamen cum Papa non restringat ad illam conditionem, nec nos restringamus, sed potius disse-

differamus commutationem, notatque rectè Gob. non debere fieri sub conditione, *si lucretur Jubilæum*, quis enim sciet se lucratum?

§. 4. Quandonam vota Castitatis & Religionis sint reservata, dixi l. 3. p. 1. à n. 544. 556. 565. 1462  
An autem juramentum Castitatis vel Religionis commutari possit, dixi ibidem n. 555. Hic adde votum Castitatis vel Religionis emissum ab impubere commutari posse, quia præsumitur adfuisse imperfecta deliberatio & promissio: & ideo etiam Cap. *Attestationi*. De despons. impub. eligere non possunt Matrimonium sive statum ex natura sua perpetuum, *Viva* q. 12. a. 2. Similiter dixi l. 3. p. 1. n. 549, si voveris Castitatem vel Religionem sub obligatione tantum levi, non esse reservatum, quia reservatio supponit aliquid grave. Addit *Viva*, in dubio, an intendaris te obligare graviter, quamvis hæc intentio præsumatur, non esse reservatum, quia cum reservatio sit odiosa, restringi debet ad vota certò gravia: Addit, non esse reservatum, si quis voverit Castitatem, & dubitet, an perpetuam, sed videnda dicta l. 3. p. 1. n. 391. Præterea hic notandum est, quod insinuavi ibidem à n. 545. vota conditionalia non reservari, si ad vovendum moverit potius necessitas vel indigentia aliqua quàm bonitas materiæ, quæ vovetur: hinc à contrario, si voveris ingredi Religionem, *si Pater tuus consenserit, si fueris 20. annorum &c.* sunt vota reservata, & hoc est communiter, dum Tò, *si*, idem significat quod, *quando*, quia tum principaliter movet bonitas materiæ, quæ absolute vovetur sub tali medio illam adimplendi, *Viva* supra.

§. 5. Si quis non sit reipsa lucratus Jubilæum, 1463

læum,

læum, quamvis lucrari voluerit, vota ejus Jubilæo transacto commutari non possunt, quia nec ablata sunt, nec jus auferendi est acquisitum, *Sanch. Portel. Belleg. l. 10. q. 6.* Imò putat *Beja p. 2. cas. 9.* quamvis lucratus esset Jubilæum, non ideo posse vota postea commutari, quia Papa non videtur hanc potestatem commutandi extendere ultra tempus Jubilæi : oppositum tamen tenent alii communiter, uti dicitur n. 1473. Videtur autem absolutè tenendum contra aliquos apud *Viva a. ult.* neminem in Jubilæo posse sibi ipsi commutare vota, quia quamvis quis possit aliquando in seipsum exercere jurisdictionem voluntariam, tamen hic committitur Confessario, qualis nemo esse potest respectu sui.

1464

Q. 210. Quid addendum sit circa potestatem eligendi quemcunque Confessarium. *Et. seqq. §. 1.* Vi Jubilæi potest quilibet, etiam Regularis ex quovis Ordine, etiam Monialis, sine licentia sui Superioris sibi eligere Confessarium, quem vult, *Nav. Suar. Fill.* dicens esse declaratum à S. Congregatione, *Bosius, Dian. Bordon. Lugo, Gob.* dicens esse rescriptum Romæ, ut stetur verbis Bullæ, *Belleg. p. 3. l. 9. q. 1.* Unde quamvis in novo *Compendio privil. v. Absolutio §. 15.* dicatur per privilegium *Gregorii XIII.* non posse etiam tempore Jubilæi à Religioso Societatis JESU sine consensu Superiorum eligi extraneum Confessarium, tamen hoc intelligitur, nisi sequens aliquis Pontifex id permittat : an autem aliquis permittat necne, spectanda sunt verba in singulis Jubilæis, quibus enim Papa habet potestatem, qualem habuerunt Antecessores sui, & potest eorum privilegiis derogare, nec tenetur  
servare

servare certam formulam derogandi; dummodo sufficienter manifestet voluntatem suam, dicendo se derogare illis, etiamsi de illorum tenoribus specialis, expressa &c. mentio aut alia exquisita forma servanda esset: per talia enim verba derogari ejusmodi antecedenti privilegio, præsertim si posterius scriptum datum sit motu proprio, docent expressè *Sanch.* in *Con-*  
*sil.* l. 6. c. 9. dub. 8. *Barbosa* De clausulis, clausulâ 43. n. 17. & 18. *Gonz.* ad Reg. 8. Cancell. gl. 36. à n. 13. *Illf.* tr. 1. d. 3. n. 58. alique plurimi apud ipsos. Attamen non affirmo positivè, quòd ullus Pontifex hætenus derogarit isti nostro privilegio; hoc tantùm dico, quòd derogare possit: & addo, contra concessionem Jubilæi pro unica vice non esse tales rationes vel declarationes Pontificum, quales *Lugo* d. 20. f. 9. affert contra similem concessionem per Bullam Cruciatæ, quæ permanens est, & induceret nimiam relaxationem in religiosos Ordines: ac propterea Congregatio VI. generalis Societatis Decreto 5. meritò prohibuit, ne ullus Nostorum auderet vel docere vel in praxi tenere, quòd hoc nobis liceat per Bullam Cruciatæ. Videri potest *Viva* q. 9. a. 1.

§. 2. Hic Confessarius debet esse approbatus ab Ordinario loci; unde non potest Regularis eligere approbatum à solo Prælato Regulari alterius Ordinis, *Suar.* *Regin.* *Vega*, *Lugo*, *Viva* contra *Dianam* & alios, quorum sententiam tutam esse putat *Gob.* dicens etiam Prælatos ampliativè dici posse *Ordinarios locorum*, quia sunt Ordinarii suorum Monasteriorum, in quibus approbare possunt suos: sed tenenda est prior sententia, nam per *Ordinarios locorum*,



in communi sensu intelligitur Episcopus vel  
 eius Vicarius. Putat tamen *Fill.* & dicit à S. Pœ-  
 nitentia responsum esse, quòd sufficiat à  
 Prælato approbatum esse, si tantum dicatur, *ab*  
*Ordinario* approbatum, & non *ab Ordinario loci*  
*vel locorum*, Prælati enim approbantes censentur  
 Ordinarii respectu suorum: & in ista sen-  
 tentia poterit Regularis unus confiteri appro-  
 bato à Prælato alterius Ordinis, *Peyr. Fern.* &  
 alii cum *Pourrè* contra *Bordon. Fabrum, Bossium*:  
 attamen non poterit sæcularis eligere ejulmodi  
 Regularem à solo Prælato approbatum, quia  
 Prælati non sunt Ordinarii respectu sæcula-  
 rum. *Fill. Dian. Nugn. Belleg. q. 2.*

1466 §. 3. Probabilius est requiri approbationem  
 Ordinarii loci illius, in quo fit confessio, uti di-  
 cetur n. 1512. & 1516.

1467 §. 4. Eligendus debet esse approbatus res-  
 pectu eligentis, hinc secundum dicenda à n. 1528.  
 qui non est *specialiter* approbatus ad Moniales,  
 non potest eligi à Moniali, *Pelliz. Molf. Viva q.*  
*9. a. 2. contra Bonac. Peyr. Boss. Vasq.* Similiter ap-  
 probatus limitatè pro viris, non potest eligi à  
 mulieribus, ob quamcunque causam negata sit  
 ad has approbatio, imò etiamsi injustè, *Trull.*  
*Viva* contra alios. Similiter approbatus pro so-  
 lis rusticis non potest eligi à civibus &c. *Suar.*  
*Rodriq. Villal. Homob. Bord. Tamb. Gob. Lugo d.*  
*25. n. 16. contra alios.* Idem dicunt priores cum  
*Lugo n. 23. contra alios* de approbato ad unum  
 tantum locum, nempe non posse eligi ubique,  
 sed in eo tantum loco, *Belleg. q. 4.* De approba-  
 to pro parochia dicitur à n. 1536.

1468 §. 5. Non potest extra necessitatem extre-  
 mam pro Confessario eligi excommunicatus,  
 suspen-

suspensus, irregularis, multò minùs depositus, degradatus, quamvis antehac fuisset approbatus, quia approbatio censetur revocata. Nec eligi potest complex criminis, si illi per Episcopum sublata sit potestas absolvendi complicem, aut etiam si absolvere prohibitus est, *Bonac. Aversa* q. 17. s. 6. *Viva* q. 11. a. 3. n. 4. *Belleg.* q. 5. & 6. contra *Boß. Pasq. Dicast.* d. 11. n. 186. qui putant non ideo tolli vel impediri jurisdictionem à Papa concessam: sed ratio nostra est, ex dictis n. 1467., quia Episcopi non approbant respectivè ad talem complicem.

§. 6. Regularis approbatus ab Episcopo, in scio vel invito Superiore, non potest eligi in Ordine Prædicatorum, in quo recepta Bulla *Julii III.* irritantis talem approbationem: potest in aliis Ordinibus, in quibus non scitur de receptione illius Bullæ, *Castrop. Miranda, Rodriq. Graff. Zerola* aliique cum *Diana* p. 1. t. 4. R. 13. Peccabit tamen mortaliter talis Regularis, aut ad minimum venialiter juxta modum prohibitionis vel obligationem suæ Regulæ, *Tamb.* cum aliis, notans non esse fidendum tali approbationi, communiter enim erit subreptitia, quia per fraudem extorta aut ex errore data ab Episcopo supponente facultatem Prælati, dependenter à cujus consensu volunt approbare Episcopi, *Ang. Adrian.* & alii cum *Belleg.* q. 7.

§. 7. Si Regularis exemptus approbatus ab Ordinario, per sententiam judicalem & notoriam prohibitus sit audire confessiones sæcularium, *Rodriq. La Crux, Miranda* & alii dicunt non posse eligi: contradicunt *Diana* & alii cum *Tamb.* & *Pourré*, quia Ordinarius non potest privare jurisdictione concessâ à Papa, sed dicendum

dum videtur cum causa revocari approbationem, sine qua approbatione suspensa est jurisdictio. Notant etiam *Suar. Laym. Castrop.* si superior prohibeat ob insecitiam Confessarii, ob timorem indignæ administrationis vel in pœnam delicti, tum ceteri tollere facultatem requisitam ad valorem; secus si faciat, ne nimium impediatur, ut aliis rebus invigilet, tum enim non tollitur jurisdictio, *Belleg. q. 8.* Vide dicenda à n. 1546.

1471 §. 8. Si Regularis approbatus ab Episcopo dimittatur ab Ordine, *Diana* dicit posse eligi, *Tambur.* dubitat, quia persona & status est immutatus, si tamen in sæculo approbatus inivisset Religionem, posset eligi, *Belleg. q. 9.*

1472 §. 9. Multi cum *Sanch. Pourré, Gob.* dicunt Confessarium approbatum sub mortali teneri audire, si ab aliquo eligatur, quia pœnitens habet à Papa jus eligendi, & talis approbatus est delegatus Judex à supremo Pastore, ergo debetè requisitus teneri officio fungi, *Belleg. q. 10.*

1473 Q. 211. *Quid fieri possit post tempus Jubilæi.* R. §. 1. Confessarius nihil potest post tempus Jubilæi circa illum, qui non est lucratus Jubilæum: circa eum autem, qui confessus est & lucratus Jubilæum, potest post Jubilæum exequi eas gratias, quas tempore Jubilæi potuisset & non est executus, hinc potest absolvere à reservatis: Item si tempore Jubilæi cœpisti confiteri, & Confessarius ex justa causa distulit absolutionem, potest transacto Jubilæo te absolvere ab omnibus peccatis & censuris, uti dictum est n. 1442. Item poterit absolvere à peccatis reservatis inculpabiliter vel ex justa causa omissis tempore Jubilæi, *Palud. Nav. Suar. Sa, Sanch.*

*Less.*

*Less. Laym. Lugo, Viva* q. 11. a. 4. & 6. Idem est de commutatione votorum, si tempore Jubilæi oblitus es petere, *Henriq. S ayr. Sanch. Less. Castrop. Portel, Dian. Gob. Viva* q. 12. a. ult. contra *Suar. Filiu. Bonac. Laym* Imò poterit fieri postea, etiam si tempore Jubilæi memor nolueris petere, *Sanch. Less. Portel, à S. Fausto, Gob.* Ratio omnium est, quia per Jubilæum lucratum acquisivisti jus ad illa omnia, nec est, cur dicaris perdidisse, cum Papa executionem non restrinxerit ad tempus Jubilæi.

§. 2. Si confessio perficiatur post tempus Jubilæi, *Sanctar. De Leon, Lugo, Gob.* apud *Belleg.* p. 3. l. 15. q. 2. probabilius dicunt te non posse absolvi à reservatis commissis post Jubilæum, quia jurisdictio prorogatur tantum respectivè ad peccata tempore Jubilæi existentia; quod certum esse dicit *Rhodes. Limitant Aversa* q. 17. l. 8. nisi Papa ipse concesserit facultatem differendi Confessionem. E contra te posse absolvi etiam ab his, absolutè dicunt à *S. Fausto, Boss. Viva* q. 11. a. ult. probabile dicunt *Sanctar. De Leon & Diana*, quia Papa saltem permittens sic differri, secundum dicta n. 1442., vult, ut lucretur Jubilæum, sed non posset, nisi absolvi posset ab illis etiam ultimis reservatis, ergo. Et secundum hanc sententiam poterunt etiam commutari vota post Jubilæum emissa, uti volunt *Boss. Diana, Pourré* apud *Belleg.* q. 3., sed, uti dixi, oppositum probabilius est.

§. 3. Si Tilius tempore Jubilæi non sit confessus, quia non recordabatur mortalis, cætera tamen præscripta impleverit, secundum *Sanch. Lugo, Belleg.* q. 4. poterit recordans reservati, ab hoc post Jubilæum absolvi & obtinere

commutationem votorum, suppositâ sententiâ, de qua n. 1414. quòd non requiratur confessio, si tibi non sis conscius mortalis. Idem dicunt *Henriq. Cón. Comit. Dian. Viva* q. 11. a. ult. etiam in sententia, quòd requiratur confessio, Item licèt habuisset mortale & confessio fuisset invalida ex invincibili defectu doloris vel propositi, quia si habuit animum lucrandi Jubilæum, potuit secundùm dicta n. 1447. absolvi à peccatis & censuris etiam reservatis; etiam extra Sacramentum, secundùm dicenda n. 1695. ergo absolutus est, quia Confessarius voluit facere, quidquid potuit. Ob eandem rationem idem dicit *Lugo* d. 20. n. 113. licèt ex malitia sacrilegè esset confessus, dummodo intenderit postea rectè confiteri & lucrari Jubilæum: Sed quoad hoc posterius rectè contradicit *Viva*, tum quia fraus non debet alicui prodessè, nec debet lucrum à sacrilegio reportari, tum quia aliquid concedens generaliter, non censetur hoc concedere, quod negaret, si specialiter rogaretur *ex Reg. 81. Juris in 6.*, Papa autem hoc negaret tali sacrilego, si rogaretur, sicuti secundùm dicta n. 1419. negat potestatem per sacrilegam Communionem implendi præceptum paschale. Quoad prius, etiam probabiliùs contradicunt *Regin. Rodriq. Boss. Aversa §. At.* quia, saltem in Jubilæo, Bullæ tantùm concedunt facultatem tollendi censuras & reservata in confessione, secundùm dicta n. 1452. & hæc facultas datur in ordine ad suscipiendum Sacramentum & ad habendam tempore Jubilæi absolutionem à peccatis, ergo mediante imprimis verâ confessione, quæ hic non intervenit, cùm confessio invalida sit nulla: deinde etiam mediante ab-

solu-

soluti  
pecca  
direct  
§.  
pera,  
absol  
non  
rum,

R  
bens  
part  
sanct  
sumi  
nit, r  
rium  
appr  
secul  
Con  
vis,  
præ  
tùm  
tuit,  
app  
l. c.  
quin

solutione, per quam indirectè saltem tollantur peccata reservata, & acquiratur jus ad postea directè tollendas centuras & ista reservata.

§. 4. Qui confessus est animo perficiendi opera, sed non perfecit, potest post Jubilæum absolvi à reservatis, uti dictum est n. 1449. sed non potest obtinere commutationem votorum, secundùm dicta n. 1463. 1476

## C A P U T II.

### De Ministro Sacramenti Pœnitentiæ.

#### D U B I U M I.

##### Quis sit Minister.

**R**esp. Est Sacerdos approbatus ab Episcopo, (saltem respectu sæcularium) & habens jurisdictionem: Est certum: Ratio primæ partis sumitur ex Joannis 1. Accipite Spiritum sanctum, quorum remisistis &c. Ratio secundæ sumitur ex Trid. sess. 23. c. 15. de Res. Ubi decernit, nullum posse audire confessiones sæcularium, nisi habeat beneficium Parochiale, vel approbationem ab Episcopo. Addidi, respectu sæcularium: quia circa confessiones Regularium, Concilium nihil videtur mutasse: unde ii cuiusvis, etiam non approbato, quem Prælati præfecerit, possunt confiteri, intelligitur, quantum est ex vi Concilii, quia Gregorius XV. statuit, ut Monialium Confessarius ab Ordinario approbetur. Ratio tertiæ partis ex Flor. & Trid. l. c. quia absolutio est actus judicialis, qui requirit subditos. Unde resolves.

I. Nullo casu vel dispensatione hoc Sacramentum